PARS PRACTICA.

CAPUT NONUM.

DE PHARMACIS SIMPLICIBUS DISPENSATORII NOSTRI, EORUMQUE PRÆPARATIS PHARMACEUTICIS.

Sequuntur jam alphabetico ordine pharmaca in officinas nostras ex ultimi Dispensatorii austriaco provincialis An. 1793. repurgatione recepta, quorum tum cruda & simplicia, tum arte pharmaceutica præparata & composita in binis hisce capitibus pertractantur. In codicem nostrum pharmaceuticum commentarius *).

*) Inservient quoque tironibus sequentes libri. Erläuterungen der neuen oesterreich. Militär - Pharmacopöe. Wien 1795. 1800.

Ordo rerum sequens erit.

1. Cujusvis pharmaci crudi caracteristica descriptio præmittetur, una cum notitia historica, quantum de ea rescire licuit.

2. Adnumerabuntur partes ejus usuales, in officinas recipiendæ, adjectis earum sinceritatis & adulterationis notis. Inde simul elucebit valor alphabetici syllabi, quo præstatur, ne partes ejusdem corporis diversa vi medicatrice pollentes, a se invicem disjiciantur in varias classes.

3. Adsignabuntur præparata pharmaceutica, quæ a crudis simplicibus nomina & vires adipiscuntur, atque in moderno Dispensatorio continentur. Quæ obsoleta sunt, nobis superflua erunt, & in officinis pharmaceuticis non habenda.

4. Mentio quoque erit, quænam composita pharmaca de lege prostantia, quodvis simplex ingrediatur.

5. Describentur vires, e proprietatibus cujusvis medicaminis physicis, praxique medica eruendæ; tum generales, tum & speciales. Posteriores vero, earumque justa adplicatio & usus ad Therapiam specialem proprie spectant, quæ æque ac

---

J. C. Hackel kurzgef. Beschreib. der in die Pharmacopöe für österr. Staaten neu aufgenommenen Arzneykörper. Wien 1795.

Physisch therapeutische Erläuterung aller Arzneymittel in der verbesserten österreich. Provincial-Pharmacopöe. Von drey Aerzten. Wien 1796. 2 Theile.

pharmaceutica ars a Pharmacologia nostra penitus separatur, cujus limites transire nullibi placebit.

6. Dosis itidem medicaminum, quantum fieri potest & corpori humano non nocebit, in genere determinabitur. Sed specialioribus in casibus doses hæ nimis relativæ, nonnisi e legibus therapeuticis stricte definiri possunt. *) Pro diversitate ætatis, consuetudinis, morbi ipsius &c. doses quoque diversæ requiruntur.

7. Adnotabitur autem exactius forma medicaminum, qua quodvis optime præscribi & exhiberi poterit. Attamen & hæcce forma e therapeuticis principiis non raro eruenda venit.

8. Denique scriptores de singularibus pharmacis Monographi, & saltem vulgatiores suo semper loco memorabuntur, ut Litteratura pharmacologica tironibus summe commendabilis minus negligatur. Ubi desunt Monographi, scriptores generales de materia medica, & armamentaria pharmacologica, si opus erit, in usum vocari poterunt.

---

*) P. A. Parent de medicamentor. dosibus. L. B. 1761.

H. F. Delius de dosibus medicam. refractis. Erl. 1765.

Eick de dosibus medicamentor. Duisb. 1779.

Fr. Th. A. Wagner & Döllinger de dosibus medicam. Bamb. 1797.

PHARMACA SIMPLICIA,
quæ in officinis nostris vel tota ipsa vel quorum saltem partes et præparata adesse debent.

Abrotanum *Offic.*

Stabwurzel, Gürtler.

Artemisia Abrotanum Botanic. Artemisia fruticosa foliis setaceis numerosissimis Lin. Fruticulus in montibus syriæ, Cappadociæ & Europæ australis sponte crescens, apud nos in hortis culta.

Pars usualis. *Herba* (Summitates non florentes), mense circiter Julio colligenda, recens & sicca; foliis ramosissimis, setaceis, ex albo viridescentibus, saporis amari aromatici, odoris balsamici, penetrantis, quorum uterque siccando debilitatur. Parcam copiam olei destillati subpeditat *).

---

*) Caracteres corporum medicatorum vere ad naturam depictos utplurimum desumsi ex Cel. Chr. Mayr Dispensatorio universali, cujus libri magnum in hoc capite usum facio, quin ulteriores citationes paginis hisce infarciam. Specialiores, subtilius fusiusque descriptos qui desiderat, adeat ipsum auctorem, cuivis medico eo magis commendandum, quum & illa describat corpora, tum antiqua, tum & neoterica, quæ in nostris officinis de lege non

Præparatum. *Conserva Abrotani* ex recenti planta, cujus majores vires, cum duplo sacchari confecta.

Vires excitantes, stimulantes, resolventes; externe discutientes, antisepticæ. Empiricis uterina, antiicterica, antiphthisica, antipestilentialis planta dicitur.

Dosis. Manipulus unus vel semiuncia pro libra infusi aquosi aut vinosi. Conserva ad drachmas duas aliquoties in die.

Absinthium ponticum *Offic.*

Römischer Wermuth.

Artemisia pontica Botan. Artemisia foliis multipartitis, subtus tomentosis, floribus subrotundis nutantibus, receptaculo nudo Lin. Planta perennis in terris australibus, etiam in Hungariæ aridis locis hinc inde spontanea, in hortis culta.

---

tenentur, & quorum notione medicus tamen carere non potest.

Ad meliorem quoque simplicium medicaminum cognitionem adquirendam inter recentiores commendantur:

Van den Sande & Hahnemann Kennzeichen der Güte der Arzneym. Dresd. 1787.

J. Arnemann Einleit. in die Arzneymittelkunde. Gœt. 1797.

Schaub Abhandl. über die Güte der Arzneyen. Cassel. 1799. 2 Th.

J. B. Trommsdorf Handbuch der Waarenkunde. Erf. 1799.

Pars usualis. *Herba* (summitates non florentes) foliis teneris, tenuissime laciniatis, minus amaris Absinthio vulgari, gratiusque odoris & magis aromaticis. Siccata adservatur.

Ingreditur acetum antisepticum & aquam carminativam communem.

Vires stimulantes, roborantes, propterea stomachicæ, anticachecticæ, anthelminticæ analogæ viribus Absinthii vulgaris, sed magis calefacientes. Externe discutientes, roborantes, antisepticæ.

Dosis uncia semis pro libra infusi aquosi, vinosi. Superflua planta, ubi sequens habetur.

Absinthium vulgare *Offic.*

Gemeiner Wermuth.

Artemisia Absinthium Botan. Artemisia foliis compositis multifidis, floribus subglobosis pendulis, receptaculo villoso Lin. Planta perennis communissima nobis, in locis ruderatis & ad vias spontanea.

Pars usualis. *Herba* (Summitates cum aut sine floribus), quæ mense Julio aut Augusto legitur, recens & sicca, foliis sessilibus, radicalibus & caulinis inferioribus compositis & multipartitis, superioribus minoribus, lanceolatis & simplicibus, coloris superne ex viridi cinerei, infra argentei cinerei, odoris nauseosi, fragrantis, saporis valde amari, subaromatici. Vires aquæ, vino & spiritui vini communicat.

Præparata. *Conserva Absinthii* ex herba recenti cum duplo sacchari. Extractum Absinthii ex decocto herbæ exsiccatæ inspissato. Libra una herbæ uncias tres extracti hujus aquosi largitur. Oleum destillatum Absinthii fragrans & non adeo amarum, limpidum, coloris viridis vel e fusco lutei. Oleum Absinthii coctum ex herba recenti cum quadruplo olei olivarum coctione ad humidi consumtionem & colatione obtentum. Tinctura Absinthii composita cum corticibus aurantiorum, calamo aromatico, gentiana & cinnamomo in spiritu vini rectificato digestis.

Ingreditur acetum antisepticum, electuarium antifebrile, emplastrum de melitoto, spiritum balsamicum, tincturam stomachicam & visceralem.

Vires stimulantes, roborantes, stomachicæ, anthelminticæ, specialius in febribus intermittentibus, cachexiis, primarum viarum debilitate & prava ob bilis inertiam digestione, nec non in morbis frigidis fere omnibus laudatæ. Nonnulli & narcoticam vim imputarunt huic plantæ, ex eo quod gravis capitis dolor & oculorum obscuritas sequatur usum ejus largiorem. Externe roborantes, incitantes, propterea resolventes, antisepticæ, & Empiricis antipestilentiales. Ad ulcera inveterata, ad scabiem, ad tumores frigidos & ad febres intermittentes infantum ventriculo epithematis forma adplicatæ, etiam forma clismatis contra vermes laudatæ leguntur.

Dosis. Succus plantæ recentis cum saccharo vel aliis varia dosi haud periculosus, nisi ex

stimulo metus. Conserva ad drachmas duas pluries de die. Pulvis herbæ exsiccatæ a granis decem ad drachmam semis. Idem de extracto, volatiliori parte orbato, in mixturis, electuariis præscribendo, aut pilularum forma illis exhibendo, quibus amarities nimis ingrata est. Pro infuso aquoso, vino aut cerevisia medicata Uncia semis herbæ ad libram; imo & major dosis pro balneo aut epithemate adhibetur. Oleum destillatum ad guttas tres & ultra pro elæosaccharo, certum antifebrile communiter dictum. Eodem scopo utrumque absinthiacum oleum spinæ dorsali illinitur. Tinctura absinthii cum aliis calefacientibus composita, morbis ventriculi ex tono deperdito inservit, a guttis quindecim ad triginta ex aqua vel saccharo propinatur, vel mixturæ immiscetur. Ceterum notandum — quod de omnibus tonicis & stimulantibus in decursu operis notari meretur — doses hasce non adeo ex legibus pharmacologicis, quam ex therapeuticis potius specialibus determinandas esse, utpote gradui debilitatis semper adaptandas.

Monogr. J. M. Fehrii Hiera picra, vel de Absinthio analecta.

Acacia nostras *Offic.*

Schlehen.

Prunus spinosa Botan. Prunus pedunculis solitariis, foliis elliptico lanceolatis, subtus pubes-

centibus, fructibus rectis, ramis spinosis. Willden.

Frutex humilis, communissima ad sepes nostras & in apricis locis.

Partes usuales. *Flores*, qui mense Aprili colliguntur, pedunculis solitariis, corolla breviter petiolata, petalis quinque albis, subrotundis, emarginatis, cum perianthio monophyllo, quinquefido; odoris suavis, qui vero siccando perit, saporis subamari, qui infusione in aquam transit; principio resinoso scatentes. Fructus a plebe, sero autumno, quo maturi sunt, leguntur, officinas non intrant, medicinæ domesticæ inserviunt. Drupam rotundam præsentant, cerasum minorem æmulantem, obscure cæruleam, saporis valde austeri & constringentis, qui nonnisi gelu accedente mitigatur. Pulpa viridis succo scatet viscido, qui expressus utiliter in gargarismate ad relaxationem uvulæ & gingivarum atque pro vinis medicatis adhibetur. Corticem radicis, peruviano cortici substituere inepte quidam voluerunt.

Præparatum. *Syrupus florum Acaciæ* ex infuso florum recentium cum anatica sacchari portione debite inspissato.

Vires. Flores, qui unice officinas ingrediuntur, leniter alvum laxant; ab aliis vero purgantibus facile substituuntur. Inter anthelmintica & antiepileptica a nonnullis inepte referebantur, quin & sabulum renum solvere dicebantur.

Dosis. Drachmæ duæ vel tres in aquæ Unciis duabus aut tribus pro unica dosi infunduntur.

Syrupi Uncia semis vel integra præscribitur, atque infantibus cochleatim exhibetur, donec purgentur.

Monogr. J. R. Spielmann Acaciæ officinalis historia. Arg. 1768.

Acacia vera *Offic.*

Arabischer Schottendorn.

Mimmosa nilotica Botan. Mimmosa spinis stipularibus patentibus, foliis bipinnatis partialibus extimis glandula interstinctis, spicis globosis pedunculatis Lin. Arbor Aegypti, Arabiæ & vix non reliquæ Africæ incola.

Pars usualis. *Gummi arabicum*, quod ex arbore pro parte sponte stillat, atque per Turciam nobis adfertur in frustis globosis vel oblongis variæ magnitudinis, solidis, siccis, fragilibus, semmipellucidis, albescentibus aut pallide flavis, fracturæ splendentis, odoris nullius, saporis fatui & mucilaginosi. Quod vero ex siliquis arboris hujus inmaturis expressis per inspissationem paratur, in frustulis rufescentibus advehitur, saporis acerbi & adstringentis.

In aqua gummi arabicum perfecte solvitur, limpidam cum ea solutionem efficiens; minime in alcohole vini & oleis; nec flammæ admotum ardet, sed intumescit, & in carbonem vertitur.

Dupla quantitas aquæ in fluiditatem mucilaginis crassioris illud redigit, & sexdupla in mucila-

ginem consistentiæ syrupi. Subigit talis mucilago & aquis miscibilia reddit olea, balsama, resinas, gummiresinas, pro parte etiam mercurium & camphoram. Obtundendis quoque acribus medicamentis inservit. In puro $\frac{1}{20}$ acidi saccharini latet.

Præparatum. *Mucilago gummi arabici* cum duplo aquæ parata.

Ingreditur taleolas catarrhales, pastam de althæa & pulverem gummosum Haly.

Vires nutrientes, emollientes, lubricantes, obvolventes. Quapropter exhibetur in muci naturalis defectu intestinorum sub dysenteria, in vesica erosa calculosorum, in exsiccatis a tussi faucibus atque in arrosione primarum viarum a venenis, a cantharidibus aliisque acribus interne adsumtis. Etiam externe ad clismata, & injectiones adhibetur, nec non fissuris labiorum papillarumque excoriationibus mucilago illinitur.

Dosis. In pulvere scrupulus vel semidrachma aliquoties de die. Mucilaginis Uncia una pro libra mixturæ aut decocti (sed post colaturam addenda) sufficit. Urgentiores curatoriæ indicationes majores doses permittunt.

Simili virtute cum arabico gaudet Gummi Senegal, a celebri flumine denominatum, & ex Mimosa Senegal sudans, imo purius adhuc sic dicto arabico est, & pro illo passim venditur. Etiam cerasorum, prunorum nostrarum gummata exotico huic quodammodo substitui possunt.

Acetosa vulgaris *Offic.*

Gemeiner Sauerampfer.

Rumex Acetosa Botan. Rumex floribus dioicis, foliis oblongis, sagittatis Willden. Planta perennis in pratis omnibus spontanea, atque hortense communissimum olus.

Pars usualis. *Radix* ramosa, flavofusca, odoris expers, grato acore & sapore subadstringente donata. Verno tempore pro officinis colligitur & siccatur. Obsoleta.

Vires exiguæ, antiphlogisticæ sic dictæ, temperantes æstum febrilem sthenicum. Succus herbæ recenter pressus scorbuticis prodest, $\frac{1}{400}$ circiter salis essentialis continet. Folia recentia in culinis usitata, pro jusculis tum medicatis, tum aliis.

Dosis indifferens. Uncia una radicis vulgo per horæ quadrantem ad colaturam libræ unius decoquitur, rubellum decoctum sistens.

Acetosella *Offic.*

Sauerklee.

Oxalis Acetosella Botan. Oxalis acaulis, scapo unifloro foliis longiore, foliis ternatis obcordatis, stylis longitudine staminum interiorum, radice articulata. Willden. Plantula perennis nemoralis provinciarum nostrarum.

Pars usualis. *Herba recens*, mense Majo colligenda, foliis petiolatis, ternatis, subpilosis, pallide viridescentibus, saporis acidi grati, ad saporem succi citri vel acidi tartari accedens, gratior acetosa vulgari. Ex succo plantæ extrahitur sal essentialis acidus ($\frac{1}{320}$ fere totius), technici potius quam medici usus, vitriolico acido frequenter adulteratus, pretio carus, atque sale essentiali tartari facile subplendus.

Præparata. *Conserva Acetosellæ* ex foliis recentibus cum duplo sacchari.

Vires refrigerantes, antisthenicæ, in scorbuto tamen commendabiles.

Dosis. *Conserva* ad plures drachmas sæpius de die. Succus ad semiunciam pro dosi, per se, aut cum aliis.

Acetum. Essig.

Acidum acetosum Chem. Liquor ex vini fermentatione acida obtentus, odoris proprii, grati, penetrantis, reficientis, saporis acidi, coloris limpidi ex albo flavescentis. Turbidum, vappidum pro officinis inutile.

Præparata.

Acetum destillatum, destillatione scilicet purius redditum, sed omni aqua non privatum semper fere empyreuma redolens, quod omni cautela impediri vix potest, expositione autem in aerem liberum denuo perditur. Plures acetum vini crudum destillato huic præferunt.

Acetum radicale, acidum aceticum concentratum, ex solutione terræ foliatæ tartari siccissimæ cum medietate olei vitrioli decomposita, evolutum & destillatione obtentum, sale mirabili in retorta remanente. Addita octava parte magnesiæ vitriariorum denuo destillatum, purissimum, oxygenisatum adquiritur, limpidum, summe volatile, gratissimi ferientis odoris & saporis, vase probe clauso adservandum.

Aceta medicata plura, tum simplicia, tum composita, suo quovis loco memoranda; horumque acetorum oximel & oxisaccharum varium.

Oximel simplex ex aceto vini optimo cum duplo mellis debite inspissato.

Oxisaccharum sive syrupus aceti, ex aceto optimo cum duplo sacchari unica ebullitione in syrupum cocto.

Sales medii imperfecti & perfecti varii, acetis hydrargyri & plumbi inferius occurrentes, sodæ & ammoniæ hic memorandi.

Terra foliata tartari, Acetis sodæ Chem. sive soda acetata, sal medius ex alcali minerali cum aceto concentrato ad saturationem mixto obtentus & crystallisatus; crystallos formans longas, spiculatas, in spiritu vini & in aqua adeo solubiles, ut tres fere partes in quatuor partibus aquæ solvantur; in aëre quidem farinescentes (propterea vase clauso adservandas), minime autem humescentes. Præfertur illi terræ foliatæ, quæ cum alcali vegetabili fixo parari potest, atque facile in liquorem defluit, qui tamen liquor terræ

foliatæ tartari ex aceto alcali vegetabili ad saturationem instillato & leniter evaporato juxta Dispensatorium nunc paratur.

Spiritus Mindereri, liquor acetis ammoniæ Chem. ex alcali volatili sicco in s. q. aceti concentrati ad perfectam saturationem soluto exoritur, limpidus, dum bene paratus, odoris & saporis fortis, suburinosi. In Gallia sal hicce forma sicca paratur, sal volatilis acetatus.

Aether aceticus denique, etiam liquor anodynus vegetabilis dictus, acetum alcoholæ dulcificatum sistit. Ex salibus nempe mediis, quos acetum ingreditur, oleum vitrioli instillatum illud dimittit, summe odorum purissimum & fortissimum. Dum nunc octo partes terræ foliatæ tartari cum tribus olei vitrioli, & sex vel novem alcoholis retortæ inmittuntur, atque unciæ quinque lenissimo igne abstrahuntur, liquor sic obtentus denuoque rectificatus ætherem aceticum exhibet, limpidissimum, odoris suavis, vini Rhenani similis, naphtharum qualitatibus donatum.

Adhibetur præterea acetum ad extrahendum principium medicaminum acre, & ad gummi ferulacia emollienda & depuranda, atque ingreditur diversa præparata & pharmaca composita.

Vires & dosis.

Aceto vires quidem vulgo antiphlogisticæ & æstui sthenico contrariæ adscribuntur; sed, nisi maxima aquæ copia dilutum, vires omnino possidet lenissime incitantes, adstringentes; præterea sudoriferas, plerisque venenis animalibus & vegetabilibus narcoticis, multum contrarias; specialius

laudabiles in hydrophobia, in scorbuto, mania & in siti fere omni febrili. Erethysmum nervosum imminuit. Externe vires exerit leniter irritantes, adstringentes, resolventes, putredine adversas; quare adhibetur vel per se, vel cum aqua mixtum sub nomine Oxycrati in contusionibus, sugillationibus, tumoribus, vulneribus, hæmmorrhagiis, gangrænis; naribus adtractum in syncope & asphyxia; vaporis forma ad aërem corrigendum, atque in clismate ad pertinaces alvi stipationes.

Dosis non periculosa, nam ad cibos condiendos passim in magna sat quantitate adhibetur. Facile drachmæ duæ aut uncia semis pro dosi; Uncia una & plures in potu febricitantium.

Idem de aceto destillato valet.

Acetum radicale quoque easdem vires, sed concentratiores possidet, proinde in parciori dosi exhibendum. Tanto validius autem pro externo usu erit.

Oximel simplex & syrupus aceti vires vere refrigerantes & antisthenicas exserunt; diuturniori usu primarum viarum laxitatem manifeste inducentes. Vis laudata pectoralis & expectorans mere relativa est ad morbi conditionem.

Dosis Uncia una & plures, vel per se linctus forma cochleatim, vel in decoctis & potibus refrigerantibus exhibenda. Pro edulcorandis medicaminibus non absque casus distinctione hoc remedio utendum.

Terra foliata tartari viribus gaudet egrediis resolventibus absque magno stimulo, diu-

reticis, lenissime eccoproticis, specialius laudandis in infarctu viscerum abdominalium, & omnibus inde pendentibus morbis.

Dosis a scrupulo uno usque ad drachmam unam & ultra, nisi purget, forma semper liquida aut electuarii, nullum salem alium vel metallum addendo. Liquor in paulo majori dosi exhiberi potest.

Spiritus Mindereri cum stimulo & irritamento resolvit more salium ammoniacalium, peculiarius sudorifera & antispasmodica vi se commendat. Externe tumores frigidos & induratos solvit. Fortior omnino dum recens paratus. Etiam sicca forma obtineri potest.

Dosis a drachma una ad unciam semis pro varia stimuli necessitate, cum vehiculo conveniente.

Aether aceticus penetrantissimum, volatilissimum & summe diffusibile remedium sistit, largam atmosphæram adperta solum lagena spargens, oculis infestam. Ob vim summe incitantem in omni languore & debilitate utilissimum & gratissimum remedium. Externe quoque inunctus in locali debilitate summe incitans. Sed effectus hujus medicaminis valde transitorii sunt, uti omnium volatilium; proinde doses sæpius repetendæ.

Dosis interne a granis decem ad drachmam semis pro casus diversitate. Decoctis semper frigidis addatur.

Monogr. C. A. a Bergen de liquore acido polychresto Aceto. Frft. 1717.

J. T. Fickii de Aceto. Jen. 1726.
S. Worthington de Aceto. Edinb. 1740.
Chr. Sam. Gebauer de Aceto. Erl. 1748.
Nic. G. Oosterdik de Aceto. Traj. 1762.
N. Moritsch Diss. de Aceto. Oenop. 1774.
J. H. Rahnii, Diss. de arcano tartari, sive ter. fol. tart. L. B. 1732.
R. T. Hartmann de spiritu Mindereri. Frft.

Acidum muriaticum vide sal communis.

Acidum nitri vide nitrum.

Acidum vitrioli vide vitrioli oleum.

Aconitum, Napellus *Offic.*

Eisenhütlein.

Aconitum Napellus Botan. Aconitum neomontanum? Willden. Aconitum cuculli calcare adunco obtuso, labio lanceolato revoluto bifido, galea convexa, foliis nitidis digitato quinquepartitis, laciniis lato lanceolatis, brevissime dentatis, pedunculis glabris. Planta perennis in Germaniæ locis nemorosis, præcipue in Helvetia, Carinthia, Austria, Silesia sponte crescens, quandoque etiam in hortis culta.

Pars usualis. *Herba recens*, ante florescentiam colligenda, foliis amplis, ter, quater vel quinquies partitis, laciniatis & acuminatis, glabris, supra profunda viridibus & nitidis, subtus pallidioribus, odoris, si teruntur, virosi, saporis amaricantis, intense acris.

Præparatum. *Extractum Aconiti* e

succo herbæ inspissato, coloris ex fusco rufi, saporis subsalsi, linguam ferientis; diu servatum vires deperdens.

Vires in majori dosi venenatæ, vertiginem, cæcitatem, paralyses transitorias aliasque nervosas adfectiones inducentes; in minori stimulantes, potenter resolventes, penetrantes, specialius in morbis chronicis arthriticis, rheumaticis glandulosis & obstructionibus viscerum laudabiles.

Dosis extracti a grano uno vel duobus in die paulatim adscencendo ad triginta & ultra; forma pulveris aut pilulari cum aliis extractis.

Monogr. Ant. L. B. a Störk libellus de Aconito. Vien. 1762.
Manghini Epist. ad Störk. de Aconito. Vien. 1766.
Phil. Ad. Boehmeri de salutari extr. Acon. in arthr. observ. Hal. 1768.
S. Abr. Reinhold de Aconito Napello. Arg. 1769.
J. L. Chr. Kölle spicileg. observ. de Acon. Erl. 1787.

Acarus vulgaris.

Calamus aromaticus *Offic.*

Kalmus.

Acorus Calamus Botan. Acorus scapi mucrone longissimo, foliaceo Willden. Planta perennis arundinacea, in fossis & aquis stagnantibus Europæ frequens.

Pars usualis. *Radix* primo vere aut sero

autumno effodienda & caute siccanda, longa, compressa digitum crassa, geniculata, spongiosa, coloris pallide bruni, odoris grate fragrantis, saporis aromatici, pungentis, subamari. Ne confundatur cum iride pseudoacoro. Vocatur etiam nautica radix, quia navigantibus ob usum antiscorbuticum adeo familiaris est. Saccharo condita aut spiritu vini digesta debilioris ventriculi hominibus in jentaculum servit. Aqua amaras partes, spiritus vini aramaticas extrahit. Indigenis aromatibus palmam facile præripit, & vulgatioris medici usus esse meretur.

Præparatum nullum, posset tamen extractum spirituosum utile parari.

Ingreditur acetum antisepticum, tincturam aromaticam acidam & absinthii compositam.

Vires stimulantes, tonicæ, incidentes, specialius stomachicæ; quare magni usus in morbis frigidis, in chlorosi, in febribus intermittentibus & in digestionis ex debilitate læsionibus. Dantur tamen idiosyncrasiæ, quæ hanc radicem non ferunt. Externe in carie laudatur.

Dosis in pulvere ad grana decem & ultra; in vino medicato a drachmis duabus ad Unciam semis pro libra, frigide infundendis.

Monogr. J. Ad. Wedel de Calamo aromatico. Jen. 1718.

It. Cech. Martinellus.

Aerugo vide cuprum.

Agaricus albus *Offic.*

Weiſser Lerchenschwamm.

Boletus laricis Botan. Fungus horizontalis acaulis, subtus porosus, qui decorticatus officinas intrat. Crescit in Helvetia & montibus tyrolensibus, nec non in Carniolia ex arbore Pini Laricis Lin. ubi terebinthinam stillare desinit. Figura & magnitudine hepar fere infantile refert. Optimus est, qui ex Aleppo advehitur, candidus, fragilis, levis. Sapor ejus dulcis ab initio, mox amaricans, dein nauseosus, parumque adstringens; odor recentis farinæ. Alcohol vires ejus medicatas extrahit, in resinosa parte residentes.

Ingreditur extractum catholicum, similesque alias absurdas drasticas compositiones.

Vires anthelminticæ, drasticæ, purgantes cum stimulo & torminibus, veterum opinione pituitam educentes, atque propterea asthmaticis inepte laudatæ. Ob vim tamen emenagogam aut vehementer potius irritantem, prægnantibus usus ejus interdicendus censebatur. Hodie superfluus, melioribus in usum vocandis.

Dosis esset ad semidrachmam in pulvere, in quem tamen difficulter teritur, & qui intestinorum plicis nimis adhæret, & tormina causat. Additis tamen extractis pilulari forma exhiberi po-

test. Melius drachmæ duæ vel tres infunderentur scopo purgante in vino aut spiritu vini.

Agaricus Chirurgorum.

Feuerschwamm.

Boletus igniarius Botan. Fungus ex quercu robore & aliis arboribus vetustis, inprimis cæsis excrescens, acaulis, utpote in ligneam arborum compagem penetrans, pulvinatus, convexo planus, ungulæ equinæ figuræ, supra corticosus, porosus, infra fistulosus, in medio mollis & elasticus. Utroque cortice abjecto nonnisi medulla malle ictibus emollita adservatur in siccissimo loco; communiter, excipiendis scintillis inserviens. Colligitur optime Augusto vel Septembri mense, & quidem optimus Fagineus & Tiliis innascens.

Vires. Internum nullum habet usum. Externe vero ad sistendas hæmorrhagias a Chirurgis adplicatur, ea tamen cum cautela, ut ea superficies vulneri adaptetur, quæ cortici superiori non fuit contigua. Nulla stiptica arteriam contrahens virtus ipsi inest, sed mechanicæ arteriarum pressioni melius obsecundat, ac linteum carptum. Thrombus, qui ex hacce sanguinis mora enascitur, novum a tergo adfluenti sanguini obicem ponit. A Brossardo An. 1751 omnium primo commendatus fuit.

Monogr. Hermant, ergo in arteriarum vulneribus tutum hæmor. sistendæ auxilum fungus maximus pulverulentus? Par. 1752.

Fr. Rubel de Agarico offic. Vien. 1778.
A. G. Richter Progr. de Agarico. Gotting. 1778.

Agrimonia *Offic.*

Odermennig.

Agrimonia Eupatoria Botan. Agrimonia fructibus hispidis, foliis caulinis pinnatis, foliolis oblongo ovatis, spicis elevatis, petalis calyce duplo longioribus Willden. Planta perennis ad sepes, vias & margines agrorum sponte crescens.

Pars usualis. *Herba* sicca, mensibus Majo & Junio colligenda, foliis ovatis, serratis, pinnatis, impari petiolatis, mollibus, pilosis, superne profundius, infra dilutius viridibus, odoris non ingrati, debilis, siccatione pereuntis, saporis subsalsi, amaricantis, leniter adstringentis. Obsoleta.

Vires non magnæ, lenissime roborantes & resolventes; a veteribus Empiricis in adfectionibus hepaticis, lienosis, multis encomiis laudatæ; serius diaphoreticæ deprædicatæ, quia infusum — uti omne infusum calidum — sudores movet. Ob leviter adstringens principium, balsamicis ac vulnerariis herbis adnumerata quoque fuit, atque in phthisi pulmonum, renum, hepatis, nec non in anginis subpuratoriis commendata. Emenagoga, anticancrosa vis huic plantæ imputata, ridicula. Radici antifebrilis virtus a nonnullis tribuitur.

Dosis minime periculosa. Infunditur (vel potius coquitur) Uncia semis vel integra pro co-

latura libræ unius; idemque infusum gargarismatibus atque injectionibus chirurgicis ad loca exulcerata servire potest. A solutione vitrioli martis nigrescit.

Monogr. Jo. Conr. Becker de Eupatorii Græcorum seu Agrimoniæ viribus Erford. 1785.

Alcali, vide sal alcalinus.

Alcohol vide spiritus vini.

Allium *Offic.*

Knoblauch.

Allium sativum Botan. Allium caule planifolio bulbifero, bulbo composito, staminibus tricuspidatis Lin. Planta perennis in Sicilia & Helvetia sponte crescens, apud nos inter olera in hortis culta.

Pars usualis. *Radix*, bulbus compositus, albicantibus membranulis vestitus, carnosus, succulentus, odoris gravis, penetrantis, proprii, non grati, saporis acris, subdulcis. Condimentum culinare vulgatissimum.

Ingreditur acetum antisepticum.

Vires alcalescentes, incidentes cum stimulo, anthelminticæ jam a Dioscoride commendatæ & a romano Poëta Macro decantatæ. Infusum bulbi vinosum in morbis mucosis, febribus intermittentibus & hydrope profuisse legitur. Lacteum bulbi infusum interne adsumtum, clismatis aut vaporis forma ad anum adplicatum, vermes necare di-

citur. A Foresto allium qua antihydrophobicum non adeo inepte laudatur. Externe vim exserit rubefacientem.

Dosis haud scrupulosa, quia communiter ferculis nostris larga manu inmiscetur, imo crudum a pauperibus cum pane comeditur, quod digestionem promovet, animam autem fætidam reddit, præcipue dum hesternum eructatur.

Monogr. G. W. Wedelius de Allio. Jen. 1718.
Alb. de Haller de Alliorum naturali genere. Gott. 1745.

Aloe *Offic.* Aloe.

Aloe perfoliata Botan. Aloe caulescens, foliis ensiformibus dentatis erectis, floribus racemosis, reflexis, cylindricis Willden. Planta perennis in India utraque, præcipue in Africa & copiosissime in capite bonæ spei crescens.

Pars usualis. *Succus* gummiresinosus, qui vel sponte promanat ex foliis incisione vulneratis, & a radiis solis condensatur, vel ex foliis vi exprimitur atque inspissatur, Aloe dictus, cujus vero variæ species occurrunt.

Omnium vilissima est Aloe cabalina, a fecibus neutiquam depurata, nigra fere, heterogeneis plurimis inquinata; saporis odorisque summe nauseosi, & propterea equis potius quam hominibus exhibenda, unde nomen habet.

Aloe hepatica in putaminibus cucurbitarum adlata, purior longe est priori, compagis solidioris, impellucida, magis resinosa, coloris pro-

funde rufi sive hepatici, medium versus nigrescentis, odoris fortissimi ingrati, saporis nauseoso amari. Ex Capite bonæ spei, item ex insulis Jamaica & Barbados in Europam transfertur. Aloe socotrina in insula Arabiæ Socotora parata, in simili quidem adparatu, ac prior, advehitur, sed coloris est magis flavo rubri, in purpureum fere inclinantis, imo crocei, dum in pulverem redigitur, superficie magis splendet, & in frustula diffracta subpellucida, friabilior & magis gummosa, odoris minus ingrati, balsamici, myrrham mentientis, saporis amari quidem, sed subaromatici.

Omnium optima & purissima, pellucida, flava, sed & rarissime occurrens est Aloe lucida, quæ nonnisi socotrina exquisitior esse videtur.

Aloe constat tam ex dissolubilibus partibus, scilicet resina & gummi, quam ex terra, solutionem omnem respuente. Proportio harum variat in diversis succi speciebus, & connubium gummi cum resina tam arctum est, ut menstruo tam aquoso resina, quam spirituoso gummi pro parte solvatur. Resina insipida & inodora fere est. Sapor odorque quin & ipsa vis purgans aloes manifestius longe latet in partibus gummosis, etenim resina quocunque modo sumta vix dejectiones efficit. Hinc Aloe socotrina, quæ plus gummi comprehendit, pro usu interno, hepatica vero pro usu externo adhibetur. Alcalina aloes amarorem & vim purgantem, multum infringunt.

Præparata. *Tinctura Aloes simplex* solutio scilicet succi hujus in sexduplo spiritus vini, facile ex tempore paranda. Tinctura

Aloes composita, cum myrrha & croco confecta, vulgo Elixirium proprietatis dulce, mirabilis Paracelsi compositio. Idem elixirium cum octava spiritus vitrioli parte, tincturam Aleos acidam exhibet. Massa pilularum Rufi ex iisdem cum elixirio proprietatis ingredientibus pulveratis constat, cum elixirio proprietatis in pilularem massam facile cogendis.

Ingreditur Aloe præterea extractum catholicum, pilulas purgantes drasticas & mercuriales, balsamum Schauerianum & Commendatoris, nec non unguentum de arthanita.

Vires valide purgantes etiam ab ipsa externa adplicatione, anthelminticæ, menses & hæmorrhoides moventes, in minori dosi stomachicæ. Ob istas vires pleraque universalia medicamina ingreditur. Prodest omnino prudenti sub usu leucophlegmaticis, chloroticis, pituitosis, verminosis, abdomine infarctis; nocet gravidis, hæmorrhoidariis, hecticis. Externe in ulceribus sordidis, fistulosis, verminosis, cariosis, subtilissime pulverata scopo depurante, antiputredinoso adhibetur. Ad morbos quoque oculorum externum in usum trahitur.

Dosis in *Substantia* scopo purgante adultis a granis quindecim usque ad semidrachmam, plerumque in pilulis, cum sapone, extractis, aliisque coindicatis; scopo roborante, resolvente refractior Tinctura Aloes simplex interne vix unquam, sed tanquam mundificans a Chirurgis unice expetitur. Elixirium proprietatis

dulce & pilulæ Rufi, viribus purgantibus tonicas & resolventes simul junctas habent, facile ad scrupulum unum & drachmam semis in die præscribi possunt, dummodo hæcce compositio alicui arrideat. Eadem dosi elixirium proprietatis cum acido exhiberi potest, de quo Paracelsus more suo multa promittit, quod tamen maxime solum digestionem adjuvat laxis, pituitosis & verminosis ægris, quibus aloetica ceterum convenire possunt.

Monogr. Raym. Mindereri Aloedarium Marocostinum. A. V. 1616.
Jo. Arn. Friderici de Aloe. Alt. 1670.
Jo. Henr. Schulze de Aloe. Alt. 1723.
Jo. Dav. Busch de Aloeticorum abusu. Marp. 1781.
Jo. Andr. Murray Progr. succi Aloes amari initia. Gott. 1785.
Thunberg de Aloe. Ups. 1785.
Chr. Lange de Elixir. propriet. Lips. 1660.
Ge. Stephens de Elix. propr. L. B. 1718.
G. W. Wedel de Elix. propr. Jen. 1719.
H. Ludolff de Elix. propr. Erf. 1745.
B. J. de Buchwald de pilulis Aloeticis. Erf. 1745.

Althæa, Bismalva *Offic.*

Eibisch.

Althæa officinalis Botan. Althæa foliis tomentosis, oblongo ovatis, obsolete trilobis dentatis Willden. Planta perennis, quæ tum in hortis colitur, tum & sponte in Germania, Helvetia, Gallia, Belgio, Anglia, atque in insulis minoribus

Daniæ e solo argillaceo, humido crescit. Tota mucilagine scatet, præcipue junior.

Partes usuales. *Flores Althææ*, mense Julio colligendi, & siccandi, perianthio duplici, corolla quinquepetala, petalis obcordatis, præmorsis, russei coloris, odoris nullius, saporis mucilaginosi, amarescentis. *Herba* mensibus Junio & Julio aute efflorescentiam colligenda & siccanda, foliis simplicibus, cordatis, subdentatis petiolatis, tomentosis, coloris cinereo viridescentis, odoris nullius, saporis mucilaginosi, subamaricantis.

Radix ramosa ramis longis, calamum vel digitum crassis, intus alba, extus flava epidermide obducta, quæ in officinis abjicitur, odore carens, saporis subdulcis, mucilaginosi. Radix principio hocce mucilaginoso præ aliis plantæ partibus scatet, nam dimidium fere ponderis mucilaginem erogat, folia vix ad quartam partem, & flores ad minorem adhuc quantitatem. Hæcce mucilago infusione vel potius decoctione aquosa extrahitur, atque more aliarum mucilaginum, refrigerata in materiem tremulam semipellucidam transit, atque ad resinosa corpora subigenda adplicari commode potest.

Præparata. *Pasta de Althæa* cum arabico gummi, saccharo & albumine ovi. Species decocti Althææ quondam multiplices, nunc ex herba & radice Althææ, liquiritia & floribus malvæ constantes. Syrupus de Althæa ex decocto radicis cum sesqui altera parte sacchari. Tabulæ de Althæa cum saccharo & tragacanthæ mucilagine paratæ, Unguentum de Al-

thæa sive citrinum (a citrino mercuriali probe distinguendum) ex axungia, cera, resina pini, terebinthina & pulvere radicis curcumæ absque Althæa hodie paratur, quia mucilagines pro usu externo emollienti inutiles; a plebe tamen hocce nomine expetitur.

Ingreditur emplastrum de mucilaginibus, mel pectorale, species emollientes & pectorales.

Vires Althææ sunt mucilaginosæ, emollientes, relaxantes (antiphlogisticæ), inviscantes, pro parte nutrientes, sub certo respectu anodynæ. Usus ejus maximus in medicina, regina enim emollientium est. Frequentissime propterea præscribitur in morbis inflammatoriis sthenicis, præcipue pectoris, in tussi, phthisi, in morbis sistematis uropoetici, quo libenter migrat; in dysenteria, & in primarum viarum ægritudinibus, ubi heterogenea aut acrimonias inviscare, & muci naturalis defectum resarcire scopus est. Ad obvolvenda quoque medicamina acriora frequenter vehiculum præbet.

Dosis. *Radicis* Uncia semis, ad summum integra per horæ quatrantem coquitur pro libræ colatura. Sunt tamen, qui mala consuetudine majorem dosin pro eadem colaturæ quantitate & diutius coquunt, errore tum practico tum pharmaceutico, quia nauseosum medicamen propinant, quod gratum esse posset. Eodem modo herba Althææ ad Unciam semis (manipulatim) infunditur pro colatura libræ unius. Flores autem ad drachmam (pugillatim) eodem modo in infusis præscribuntur, aut & sicci, species varios theatos

colore suo exornant. Non magnarum virium. Olim prostabant in officinis etiam semina, quæ vero minus adhuc mucilaginosa sunt.

Externus Althææ usus æque magnus ac internus. Clismatibus laxantibus basin dat, cataplasmatibus emollientibus, maturantibus optimam herba consistentiam. Unguentum itidem relaxando, emolliendo, præsertim camphora armatum discutiendo agit, frequentemque in usum trahitur. Emplastra mucilaginosa inutilia dixi.

Alumen crudum *Offic.*

Alaun.

Sulfas acidulus aluminæ Chem. Argilla vitriolata. Sal imperfecte medius ex terra propria aluminosa vitriolico acido supersaturata, saporis austeri, & ob prædominans acidum manifeste acidi, crystallos formans octoedras, claras, duras, aeris contactu in superficie farinescentes, in 16 circiter partibus aquæ calidæ, & 44 frigidæ solubiles, minime in spiritu vini, a quo & decomponitur solutio aquosa. In Anglia, Suecia & Germania ex nativa sua minera (schisto aluminari) elicitur, ferro magis minusve inquinatum. Prope Romam vero e saxis excoquitur rubelli coloris, non a marte sed a terra rubra coloratum, romanum sive rubrum alumen dictum. Album & vulgare, quod vero ex oppido Syriæ Rocca venit, alumen Rochæ, vel per errorem rupeum vocatur.

Præparatum. *Alumen ustum.* Crudum scilicet alumen igne fusum expulsa crystallisationis aqua intumescit & extenditur in massam impellucidam, spongiosam levem, candidam, quam ustum alumen vocant, majori nunc acredine præditum.

Ingreditur alumen syrupum Kermesinum ad colorem exaltandum.

Vires Aluminis crudi sunt adstringentes, stipticæ. Interne in erethysmo nervoso, in colica pictonum, in febribus intermittentibus, in diarrhœa pertinaci & aliis profluviis e laxitate laudantur. Externe solutio aquosa ad hæmorrhagias e laxitate, præcipue uterinas cohibendas, ad ulcera scorbutica & tumores laxos, ad anginas catarrhales & gingivarum laxitatem, tum & ad oculorum asthenicas inflammationes in usum venit.

Dosis interne ab aliquot (quinque) granis, ad scrupulum unum in pulvere aut mixtura. In majori dosi alvum movet, & hæmorrhagias excitare dicitur. Pro externo usu, injectionibus aut collyriis drachma semis vel integra in Unciis sex alicujus liquidi præscribitur. Frustulum aluminis subpositorii forma ano immissum, in ejus prolapsu laudatur.

Alumen ustum, arrodens & exsiccans remedium, a Chirurgis ad corrodendas carnes luxuriosas, parvis portionibus, sed sæpius inspergendis adhibetur.

Monogr. Jo. Fr. M. Khyon de Alumine. Alt. 1715.

Jo. Fr. Fürstenau de Alumine. Rint. 1748.

Gerh. Andr. Müller de solutione Aluminis vitriolica, medicamento euporesto polychresto. Giefs. 1748.

Jo. Pet. Brinckmann de Alumine. L. B. 1765.

G. L. Seydler de Alumine, ejusque usu medico. Lips. 1772.

Jo. Lud. Lindt de Aluminis virtute medica. Gott. 1784.

N. Ries von den Eigenschaften und Zubereitungen des Alauns. 1790.

Amomum vide Gimento.

Ammoniacum gummi *Offic.*

Ammoniakgummi.

Gummiresina ex India orientali atque Aegypto, præsertim ex Alexandria ad nos advecta, probabiliter in Lybia circa Templum Jovis Hammonis collecta, ubi ex magna quadam planta umbellifera stillare dicitur, quam non determinant Botanici. Duplex in officinis habetur. Gummi ammoniacum in panibus in massis magnis externe obsolete fuscis, interne ex albicante, rubente & profunde flavo variegatis, quibus copia inhæret granorum lactei coloris, quæ ungues sive amygdalæ vocantur, arena, partibus lignosis, & seminibus anethi semini similibus intermixtis adportatur. Gummi ammoniacum in granis vel lacrymis vero in frustulis variæ magnitudinis, albis vel flavescentibus, siccis, friabilibus, invicem conclutinatis occurrit. Utrumque inter

digitos tritum mollescit, prunis impositum ardet, nonnisi in frigore in pulverem redigitur, odoris est balsamici, fortis, ingrati ex allio & castoreo quasi mixti, saporis initio subdulcis, nauseosi, postea amari, subacris & resinosi; in oleis æthereis totum, in alcohole vini ad dimidium, in aqua, quam colore imbuit lacteo, minus solvitur. Posterior species purior est priori, atque impurior externo, purior interno usui destinatur. Depuratur pro usu medico, dum aceto emollitur, filtratur, evaporatur, dispersis semper volatilioribus partibus. Omnis ejus & albescens superficies ex adtactu aeris rufa redditur. Dioscoridi jam notum fuit.

Ingreditur emplastra varia, diachylon cum gummi, diabotanon, meliloti, oxycroceum.

Vires sunt leniter stimulantes, proinde in dato casu resolventes. Quare vulgo adhibetur in morbis pectorum pituitosis, in asthmate, in spuria peripneumonia, in obstructionibus viscerum, glandularum, in hydrope &c. Externe emollire dicitur, sed non absque stimulo agit, propterea resolventibus, discutientibus adnumeratur. Aceto emollitum ad tumores frigidos articulorum aliosque commendatur, atque ob eandem vim prædicta emplastra ingreditur.

Dosis interne a granis quinque ad viginti; in majori dosi leniter purgat. Optimus præscribendi modus in pilulis. In mixturis cum mucilaginibus subigi debet; aqua enim, aut aceto vel simplici vel scillitico solutum facile resinosam par-

tem dimittit. Decoctis nonnisi frigefactis addendum. Diuturnus usus ventriculum molestat.

Monogr. Ern. Ant. Nicolai de Gummi Ammoniaci virtute. Progr. I. Jen. 1767.

Ejusd. Progr. II. Jen. 1772.

Ant. Ulr. Wagner de gummi Ammoniaco. Gott. 1775.

Amygdalæ *Offic.*

Mandel.

Amygdalus communis Botan. Amygdalus foliorum serraturis infimis glandulosis, floribus sessilibus geminis Lin. Arbor in septentrionali Africa spontanea, in Italia, Gallia copiose culta, Germaniæ etiam clima ferens.

Pars usualis. *Nuclei* ovati, complanati, pellicula brunea instructi, intus bipartibiles, albi, in apice corculum gerentes, saporis dulcis, lactei, cum fragrantia quadam. Dantur etiam amaræ amygdalæ, saporis intense, sed non ingrate amari, subacris.

Præparatum. *Oleum amygdalarum* pressum, unguinosum, gratum & subdulce, non omnino limpidum, facile rancescens, & quo magis rancescit, eo magis limpidum. In spiritu vini non solvitur, nec aquæ miscetur, nisi mucilagine subactum. Ex amaris æque ac dulcibus oleum hocce gratum, blandum, & subdulce obtinetur, nam amarities non insidet oleo expresso; ex ama-

ris vero ad $\frac{1}{4}$ tantum partem, ex dulcibus dimidium fere ponderis exprimitur.

Vires et usus.

Amygdalæ dulces, vel solæ, vel cum amaris aliquot ad gratiam oris junctæ, decorticatæ seu epidermide privatæ, ab Uncia semis ad unam cum libra aquæ tritæ emulsionem sistunt, quæ saccharo edulcorata & palato grata est, & vi refrigerante, sitim sthenicam sedante, involvente, leniter nutriente, & sub certo respectu anodyna gaudet. Hinc tantus est usus emulsionum in febribus inflammatoriis, sthenicis, in urinæ ardore & sub adplicatione cantharidum, in doloribus ex ingestis venenis mineralibus &c. præcipue si adhuc mucilago superadditur. Simili ratione & oleum amygdalarum ope mucilaginis cum aqua mixtum idem præstat.

Oleum amygdalarum per se interne adplicatum, dum recens & non rancidum est, scopo inviscante, lubricante, leniter purgante magnum usum habet, cochleatim vel solum adsumtum, vel mucilagine & syrupo mixtum. Externe quoque inservit vel pro clismatibus, vel pro consistentia linimentorum, præcipue volatilium, cum spiritu salis ammoniaci parandorum; tum etiam ad cerumen aurium induratum emolliendum, aut ad insectula in meatu auditorio externo necanda.

Amygdalæ decorticatæ in dupla quantitate resinam Jalappæ optime subigunt.

Amaræ amygdalæ suspectas vires possident, avibus quibusdam & gallinis veneno sunt, imo ipsis infantibus nocivæ, peculiarius infestæ

vulpibus, Dioscoride jam testante, canibus & cæconatis fere omnibus. Residua earum post olei expressionem pars, atque pellicula destillatione oleum æthereum largiuntur aqua specifice gravius, causticum, odoris foliorum laurocerasi, amarissimum, a quo ergo nucleorum amarities pendet. Et hocce oleum aves, insecta, vermes instantanee necat. An adeo tutum, quam certum anthelminticum?

Monogr. Jo. Ulr. Hegner de Amygdalis. Bas. 1703.

H. P. Juchius de genuino Amygdalarum usu in medicina. Erf. 1733.

Petr. J. A. Daries Epist. de Amygdalis, & oleo amararum æthereo, Lips. 1776.

Amylum.

Kraftmehl, weiſse Stärke.

Feculæ tritici macerati trituratique exsiccatæ, albissimæ, inodoræ, insipidæ, insolubiles in aqua frigida, cum ea coctæ in pultem viscidam abeuntes.

Ingreditur pulverem gummosum seu Haly.

Vires nutrientes, glutinantes, obvolventes. Externe scopo siccante in intertrigine & excoriationibus cutaneis, præcipue infantum à spurcitie, magnum ejus vetulæ usum faciunt. Male; dum cito fermentat & acescit.

Monogr. Jo. Fr. Cartheuser de Amylo. Frf. 1767.

Rejus de Diapasmate. Tub.

Anagallis *Offic.*

Hünerdarm, Gauchheil.

Anagallis arvensis Botan. Anagallis foliis indivisis, caule procumbente Willden. Plantula annua, quæ sponte crescit in totius fere Europæ arvis.

Pars usualis. *Herba* florens siccata, flore phoeniceo, corolla monopetala rotata, perianthio quinquepartito, caule quadrangulari procumbente, foliis ovato lanceolatis, læte viridibus. Variat foliis ternis, quaternis, flore albo, umbilico purpureo. Probe igitur distinguenda ab Alsine media & Veronica Anagallide Lin. Tota planta principio volatili caret; sapor acerbus, amariusculus.

Vires huic plantæ ab Empiricis tribuuntur antispasticæ, antiepilepticæ, antimaniacæ. In hydrophobia ab antiquissimis medicis in usum vocata fuit, atque recentius a Kæmpfio contra incredulos vindicata. Prophylactico scopo, demorsis a cane rabido scrupulus unus pulveris herbæ siccatæ quater in die porrigitur, & vulnus hoc pulvere inspergitur. Inepte sane, si alia meliora negliguntur. Nescio certe, quamnam spasmi causam fatua hæc herbula tollere valeat. Propterea ab Hallero & Tissoto frustra tentata fuit.

A rusticis in ovium vertigine laudatur, atque in regionibus orientalibus succum herbæ gossypio exceptum ad equorum cataractam incipientem adplicant.

Monogr. Car. Lud. Bruch de Anagallide. Arg. 1758.

Gotl. Nath. Schrader de Anagallide. Hal. 1760.

Anethum *Offic.*

Dille.

Anethum graveolens Botan. Anethum fructibus compressis Lin. Planta umbellata annua in Hispania, Lusitania, Turcia sponte crescens, apud nos hortensis, condiendis cucumeribus vulgo destinata.

Pars usualis. *Semina* ovata, latere uno plana, altero convexa & ter striata, torosa, margine membranoso, dilute fusca, odoris fragrantis, saporis aromatici, calidi.

Præparatum. *Oleum Anethi destillatum*, $\frac{1}{16}$ fere totius, fragrans, moderate urens; quod ingreditur unguentum nervinum.

Vires stimulantes, carminativæ, incidentes, diureticæ; externe discutientes. Lac augere dicuntur. Usus rarior, ob alia meliora.

Dosis in pulvere a scrupulo uno ad semidrachmam; in infuso a drachmis duabus ad semi Unciam pro varii stimuli necessitate.

Monogr. Jo. B. Karcherus de Anetho. Arg. 1734.

Angelica *Offic.*

Angelika, Engelwurzel.

Angelica Archangelica Botan. Angelica foliorum impari lobato Willden. Planta biennis umbellata generosa, in Lapponia, Norwegia, etiam in Silesia, Austria, Helvetia in montibus & ad fluviorum ripas sponte crescens, in hortis nonnullis culta. Omnibus partibus aromatica est, & moschum quodammodo redolet. Ab Angelica sylvestri Lin. caute distinguatur.

Pars usualis. *Radix*, sero autumno aut veris initio in secundo ætatis anno effodienda, caute siccanda & non nimis diu, ne vermibus arodatur, servanda, magna, crassa, ramosa, extus bruna vel grisea, intus albida, balsamica & succo gummiresinoso scatens, odoris fragrantis, aromatici, in decoquendo moschati, saporis initio aromatici & dulcis, deinde subacris & amaricantis. Libra una radicis integram fere drachmam olei essentialis largitur. Spiritus vini plures quam aqua medicatas partes extrahit.

Præparatum. *Extractum Angelicæ* spirituosum, ex tinctura radicis abstracto spiritu obtendum, colorem profunde fuscum, saporem aromaticum referens, volatilissimo principio tamen destitutum.

Ingreditur radix spiritum aromaticum & Carmelitarum, atque tincturam balsamicam.

Vires sunt stimulantes, excitantes; sudoriferæ, carminativæ, leniter roborantes, propterea stomachicæ, incidentes Antisepticæ quoque dictæ sunt, & in peste, tum masticatione adhibitæ, prophylacticæ, tum interne alexipharmacæ summopere laudatæ. Majores laudes sibi promeruit radix in febribus nervosis, & omni vera debilitate cum viribus vitalibus prostratis; & subplet omnino serpentariam virginianam & contrajervam extraneas. Semina iisdem fere viribus cum radice gaudent, sed citius deperdunt.

Dosis radicis hujus varia, pro varia incitamenti necessitate; pulveris a granis decem usque ad triginta; pro infuso drachmæ duæ aut & Uncia semis, aquoso & vinoso, libræ unius pondere. Infusum aquosum colorem dilute aureum induit, saporem acrem balsamicum, parumper amarum, odorem radici proprium. Extractum ad grana quindecim & longe ultra in mixtura, aut vino medicato.

Angustura. *Offic.*

Angusturarinde.

Cortex abyssinici fruticis (an Mangoliæ glaucæ an Plumieri? Willden) ab Hispanis ex insula Angustura Indiæ occidentalis per insulam Trinitatis nobis advehitur in frustis convexis, diametri circiter sesquipollicis, vel minoris, longitudinis plurium (ad sex) pollicum, lineam dimidiam crassis, diffractis splendentibus & resinosis, nun-

quam fibrosis, extus ex fusco luteis & albicantibus intus bruneis, saporis amari, subacris, subaloetici, aromatici, odoris debilis, specifici, nauseosi. Facile in pulverem teritur, flavedine rhabarbarum fere referentem. Aqua nihil, nisi amaras partes eruit, spiritus vini autem aromaticas simul. Usus hujus pharmaci ab An. 1786 per medicos Evers & Wiliam innotuit.

Præparatum quidem nullum de lege præscriptum, attamen extractum e decocto inspissato in plerisque officinis prostat.

Vires roborantes, resolventes, anthelmintieæ; proinde in omni debilitate, in febribus nervosis & intermittentibus, in cachexiis frigidis cum viscerum obstructionibus, atque in ventriculi intestinorumque laxitate summopere laudandæ; viribus tamen peruviani corticis non penitus analogæ.

Dosis non absolute eadem. In pulvere a granis decem ad semidrachmam & ultra, aliquoties in die. Gratior fere pulvis, quam peruviani corticis, & pretio levior. In decocto Uncia semis vel integra pro libræ colatura.

Monogr. Fr. Meyer Diſs. de cortice Angusturæ. Gœt. 1790. Deutsch. 1793.

A. E. Brande Experiments and Observations on the Angustura Bark. Lond. 1793. Deutsch. durch Borges.

F. E. Filter Diſs. de cortice Angusturæ. Jen. 1794.

Anisum stellatum *Offic.*

Sternanis, Badian.

Illicium anisatum Botan. Illicium petalis interioribus lineari-subulatis Willden. Arbor in Japonia, China & insulis philippinis crescens.

Pars usualis. *Fructus* nomine anisi stellati veniens, ex sex plerumque vel octo capsulis stellatim invicem junctis, compressis, unilocularibus, oblongis, acutis, duris constans, ferrugineis, extus rugosis, intus glabris, nitidis, communiter margine superiori dehiscentibus, inferiori convexo, tumido, aspero; qualibet in capsula inclusum est semen ovatum, compressum, sub arillo fragili, nitido, glabro, badio, continens nucleum album, mollem, pinguem. Odore & sapore æmulatur semen anisi vulgaris vel fæniculi, sed magis aromatico, dulciori ac suaviori. Capsulæ ipsæ magis adficiunt linguam, quam semen, & hujus cortex magis nucleo, qui saporem cum leni aromate pinguem prodit. Semina plus olei ætherei destillatione exhibent, quam capsulæ seminales. Nuclei frigida pressione oleum unguinosum erogant grati odoris. In usum medicum plerumque & capsulæ & semina junctim adhibentur. Ad finem seculi XVI. per anglicum mercatorem omnium primo in Europam transferebantur. Ex Tartaria magna copia ad nos veniunt.

Ingreditur syrupum mannatum.

Vires stimulantes, leniter incidentes carminativæ, ob suaveolentiam, medicaminum gratiam

exaltantes, & purgantium tormina infringentes, in tussi catarrhali laudatæ.

Dosis *in pulvere* ad drachmam semis, & integram aliquoties in die. *In infuso* drachmæ duæ & plures.

Monogr. Ant. Casamajor, an nebuloso tempore seminis Badiani usus? Par. 1776.

Anisum vulgare *Offic.*

Gemeiner Anis.

Pimpinella Anisum Botan. Pimpinella foliis radicalibus trifidis incisis Lin. Planta annua, in Aegypto spontanea, in Germania, præcipue in Saxonia superiori & Thuringia copiose culta.

Pars usualis. *Semina* oblonga, parva, basi ventricosa, striata, viridi fusca, ex duobus seminibus facie plana connexis conflata, saporis dulcis, aromatici, odoris fragrantis. Majora & matura semina seligenda. Omnem efficaciam spiritus vini abripit. A Dioscoride & Plinio jam in medicum usum vocata fuerunt.

Præparata. *Aqua Anisi* seminum destillata, cum decuplo aquæ prægressa maceratione, ad medietatem abstracta. *Oleum Anisi* destillatum, minimo frigore (dum recens est) spissescens, ad Unciam unam facile ex libris tribus seminum eliciendum, utplurimum in cortice seminis latens. *Spiritus Anisi* (Manheimer Wasser) ex seminibus in octuplo spiritus vini maceratis,

destillatione obtinendus, omnem eorum efficaciam suscipiens.

Ingreditur electuarium pectorale, spiritum aromaticum, balsamicum, & salis ammoniaci anisatum.

Vires stimulantes, carminativæ, stomachicæ, sub certo respectu omnino incidentes, atque in morbis pectoris pituitosis & asthenicis specialius laudabiles.

Dosis varia. In pulvere grana viginti vel triginta. In infuso drachmæ duæ & plures. Aqua ad Uncias duas & plures in mixturis. Oleum ad guttas duas more vulgari pro elæosaccharis. Spiritus ad drachmam semis & unam per se, ad duas drachmas & semiunciam in mixturis.

Monogr. J. S. Henninger Diſs. de Aniso. Arg. 1704.

Anthos vide Rosmarinus.

Antimonium crudum, Stibium *Offic.*

Roher Spieſsglanz.

Sulphuretum Stibii Chem. semimetallum quarta parte sulphuris mineralisatum, ponderosum, striatum, fragile, nitens, coloris obscure plumbei, eoque digitos tangentes inficiens, insipidum & inodorum; in Galliæ, Saxoniæ, Bohemiæ & Hungariæ terrarum sinu obvium. Seligatur solidius & ponderosum, diffractum vix splendens, striis ex

cæruleo griseis, parallelis figuratum. Rejiciatur spongiosum & leve, irregularibus striis notatum, aliorum metallorum vestigiis inquinatum. Igne tractatum & liquatum, totum volatile est, imo & reliqua metalla, gravissimis nobilibus exceptis, secum abripit. Ab omnibus, etiam debilioribus acidis corroditur saltem, si non perfecte solvitur, spiritus vini autem & aquæ solventem vim eludit, frustraque proinde in petias ligatum decoctionibus injicitur. Ad finem seculi XVI a Kunkelio omnium primo interne exhibitum fuit, venenis antea adnumeratum. Puriori suo statu & a sulphure liberatum, metallicum nitorem induit, & Regulus Antimonii seu Antimonium regulinum vocatur.

Præparata.

Aethiops antimonialis, sulphuretum hydrargyri stibiatum, est mixtio anaticarum partium antimonii crudi & mercurii vivi, ad globulorum mercurii evanescentiam in mortario tritarum. Constat hicce pulvis ex 0,50 mercurii, 0,37 reguli antimonii & 0,13 sulphuris. Coloris sit nigri, ponderosus, nec Microscopio globulos mercuriales demonstret. Ab Huxhamo primo commendatus.

Antimonium diaphoreticum non ablutum ex tribus partibus nitri cum una parte antimonii crudi in crucibulo ignito detonatis paratum, constat regulo stibii acido nitri oxydato, arcano duplicato, nitro, & pauxillo alcali vegetabilis. Amotis salinis hisce reiterata ablutione in aqua principiis, remanet oxydata regulina pars albi coloris, quæ Antimonium diaphoreticum

ablutum officinarum sistit, sive oxydum stibii album. Pulvis insipidus, in aqua & spiritu vini insolubilis.

Butyrum Antimonii, murias oxygenatus stibii, varia methodo parari potest, quam optime vero obtinetur, dum juxta Dispensatorii præscriptiones duæ partes calcis sive croci antimonii sex partibus salis communis mixto, caute adfusis quatuor partibus olei vitrioli diluti destillantur, butyro in excipulum transeunte, atque sale mirabili in residuis remanente, sed abjiciendo.

Hepar Antimonii paratur ex partibus anaticis nitri & antimonii crudi seorsim pulverisatis & in candenti crucibulo detonatis. Massa dura splendens, ponderosa, hepatici coloris constat ex duplicato arcano & sulphuris acido antimonii regulo junctis. Aqua sufficienti edulcata & siccata Crocum Antimonii sistit, metallorum quondam dictum, (oxydum stibii sulphuratum semivitreum) qui a Veterinariis ad equos purgandos in usum trahitur.

Coctum vero hepar antimonii in multa aqua filtratumque, deponit sedimentum fuscum, quod edulcatum & siccatum prostat sub nomine sulphuris aurati Antimonii primæ præcipitationis (hydro sulfuretum stibii). Residuum liquidum adfuso acido v. g. aceto, secunda & tertia præcipitatione adhuc largitur simile præparatum, ast coloris magis aurantii, metallicoque principio magis orbum. Inventum Basilii Valentini.

Juxta Dispensatorii præscriptiones pro justiori proportione & certiori stibii cum hydrosulfure unione, sulphur auratum Antimonii, sive oxydum stibii sulphuratum aurantiacum paratur, si Unciæ undecim florum sulphuris cum septem Unciis antimonii crudi pulverati in lixivio caustico concentrato ad perfectam sulphuris solutionem coquantur, atque liquori filtrato instilletur spiritus vitrioli, quousque præcipitatum compareat, quod aqua edulcatum & siccatum semper 0,25 partibus calcis antimonii atque 0,75 partibus sulphuris & hydrogeni compositum est. Sit aurantii coloris, saporis & odoris nullius, cum sale ammoniaco tritum nullum exhibeat odorem urinosum, in crucibulo candenti penitus avolet, cum acido nitri non effervescat, & in lixivio caustico coctione solvatur, & per refrigerationem solutionis minime præcipitetur.

Ex hocce pulvere in lixivio caustico cocto, eodemque post additum amygdalarum oleum evaporato & inspissato exoritur sapo antimonialis, tum simplex, tum resinosus varius, si loco olei amygdalarum resina jalapæ vel alia accipitur.

Analogum sulphuri aurato præparatum est Kermes minerale, pulvis Carthusianorum, oxydum stibii sulphuratum rufum, cui parando pars una antimonii crudi in pulverem subtilem tusi, cum quatuor alcali vegetabilis, & aquæ sexdecim partibus coquuntur, liquorque fervidus filtratus quieti exponitur. Secedit tunc levis, ex rufo badius pulvis, qui aqua perfecte edulcatus &

in umbra siccatus servatur. In 100 partibus hujus præparati 48 partes sulphuris & hydrogeni, & 52 calcis antimonii latent. Sit coloris sammetini e fusco rubicundi, saporis & odoris nullius, tactu mollis, in s. q. lixivii caustici coctione penitus solvatur, refrigeratione autem iterum ex eo præcipitetur. A Glauberi quodam discipulo An. 1713 inventum fuit, atque Monachis Carthusianis qua secretum communicatum; 1719 vero a Monacho Simone divulgatum, unde nomen adquisivit.

Tartarus emeticus, tartris lixiviæ stibiatus, multifaria methodo parari potest. Ad mentem Pharmacopœæ austriaco provincialis anaticæ partes croci antimonii & crystallorum tartari in duodecim partibus aquæ destillatæ coquuntur, decoctio filtratur, evaporatur & ad crystallisandum reponitur. Crystalli collectæ & siccatæ in pulverem teruntur & servantur; coloris ex dilutissime flavo virencentis albi, saporis nauseosi, metallici. Optimus tartarus emeticus, qui $\frac{3}{11}$ reguli antimonii continet. In aqua solvitur; sed prævalet destillata, ne decompositio fiat.

Pulvis antimonialis, vulgo James powder ad inventoris D. James mentem paratus etiam mercurii portiunculam recipit; juxta nostrum autem Dispensatorium obtinetur, dum anaticæ partes antimonii crudi pulverati & cornu cervi rasi ad albedinem calcinantur.

Tinctura Antimonii simplex sive tartarisata ex hepate antimonii cum alcali parato, sive ex una parte antimonii crudi cum duabus al-

cali vegetabilis fusione mixta, adfuso sexcuplo spiritus vini rectificatissimi, donec spiritus fusco colore bene tinctus sit, digesta exoritur. Ejusdem libræ tres cum saponis antimonialis uncia una tincturam saponis antimonialem, vulgo sulphur Antimonii liquidum sistit.

Quondam plures Antimonii tincturæ in usu fuere, quarum anisata laudabilior. Plura quoque alia præparata antimonialia in usum medicum vocabantur, præcipue Antimonii vitrum simplex & ceratum, syrupus emeticus e priori paratus, cinnabaris antimonialis atque composita exinde multiplicissima, paucis nostris præparatis facile subplenda; præcipue tartaro emetico & sulphure aurato. Sic & vinum antimoniatum Huxhami ex vitro antimoniali in vino soluto, a solutione vinosa tartari emetici facile eliditur.

Vires & dosis.

Antimonii crudi vires sunt stimulantes, irritantes, subemeticæ, propterea summopere resolventes, diaphoreticæ, alterantes, incidentes, non raro purgantes. Laudatur ex hac ratione in rheumate non sthenico, in arthritide, rachitide, in scrophulis, atque obstructionibus & tumoribus aliis ex causa frigida.

Dosis varia. In pulvere a granis quinque ad scrupulum unum bis de die. Idem pulvis in pilulis, electuariis spissioribus. In petiam ligatum atque coctum aquæ vix aliquid de viribus communicat.

Aethiops antimonialis virtutes simul & mercurii possidet; quare in scabie venerea & aliis malis venereis inveteratis, præcipue in cutaneis & ossium morbis ex consimili causa laudari meretur.

Dosis in pulvere pro infantibus granum semis vel unum cum aliis coindicatis, adscendendo paulatim ad tria grana & altius, dummodo vomitum aut ptyalismum non causet. Adultis ad grana decem, adscendendo ad viginti in die.

Antimonium diaphoreticum ob vires subemeticas, alterantes, sudorem movere valet, unde & desumsit denominationem suam. Non ablutum ob salinas particulas junctas, vires quoque solventes, incidentes, in frigidis pulmonum morbis specialius multum laudatas possidet. Ablutum vero a Boerhaavio jam absorbentibus fere adnumeratum, atque ob inefficaciam vix amplius præscribitur. Tartarus emeticus tutior & efficacior utrumque nunc ex usu medico extrusit.

Dosis non abluti a granis decem ad semidrachmam, in pulvere, aut quia facile humescit, in mixtura; abluti a granis viginti aut quadraginta, male in aquoso vehiculo, quia fundum petit. Non præscribatur cum cremore tartari.

Butyrum Antimonii causticas vires exserit, usui externo chirurgico destinatas, in ulceribus callosis, in staphylomate corneæ, atque in vulneribus a cane rabido demorsorum ad venenum destruendum. Aqua dilui non potest, quin decomponatur.

Hepar Antimonii nonnisi veterinariis medicis usitatum, ad alia potius præparata antimonialia adhibetur, præcipue ad obtinendum crocum antimonii, & aquam olim benedictam Rulandi.

Sulphur auratum Antimonii viribus gaudet stimulantibus, potentissime resolventibus, alterantibus, emeticis in minima quandoque dosi. In morbis pectoris pituitosis & asthenicis, in cutaneis chronicis, in hydrope frigido, in viscerum & glandularum obstructione & aliis lymphaticis morbis, in arthritide, rheumate &c. maximo cum fructu adhibetur.

Dosis a grano uno adscendendo ad duo in die, vel & ultra, dummodo vomitum non causet.

Kermes minerale easdem vires exserit, atque in iisdem morbis fere laudatur; ob partes vero plures regulinas minori dosi exhibetur, & raro plus quam semigranum propinari potest, quin vomitus sequatur. In Gallia emetico scopo adhibetur, quemadmodum tartarus apud nos emeticus.

Ambo præparata optime in pulvere, aut in pilulis præscribuntur.

Sapo antimonialis a Kämpfio multum laudatus in viscerum abdominalium obstructionibus & glandularum, multum quoque laudabilis in morbis cutaneis inveteratis & lymphaticis, varia quidem dosi & adscendente dari potest, sed communiter a granis sex usque duodecim in die fertur ab ægris, quin vomitum moveat. Forma pilularis optima.

Tartari emetici vires ex denominatione patent. In minori dosi mucum incidit, resolvit,

stimulat, alterat, diaphoresin movet, alvum ducit, vermes necat; in majori vomitum ciet, atque exinde secundarii iterum effectus sperandi, antispasmodici, deobstruentes, concutientes &c. Propterea magnum in praxi usum promeruit, non solum ad heterogenea e primis viis, præcipue e ventriculo eliminanda, sed etiam in morbis pituitosis & lymphaticis, ubi humores incidere, solida inertia incitare, stases levare absorptionesque promovere scopus est, quemadmodum in tussi convulsiva, in frigidis pulmonum congestionibus, in hydrope, in ipsa paralysi, mania &c.

Dosis incerta, pro vario medendi scopo, pro varia ægri ætate, irritabilitate, idiosyncrasia &c. multum varia. Scopo resolvente alterante $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{2}$ vel rarius integrum granum adultis in die exhibere licet; ad plenum vomitum autem excitandum, plerumque duo vel tria grana pro dosi adultis requiruntur. Ipsamet varia tartari emetici præparatio incertitudinem virium ejus causat. Quare optimum est, ut omnis periculosa hyperemesis evitetur, grana tria vel quatuor in Unciis duabus aquæ destillatæ dissolvere, atque cochleatim solutionem caute exhibere, donec vomitus exoriatur. Raro in pulvere præscribitur, quia sufficienti volumine caret, atque cum saccharo aut terra absorbente, præcipue cum salibus alcalinis aut & mediis acidum vitriolicum vel nitrum continentibus non unitur, quin decomponatur. In constipationibus alvi pertinacibus, in asphyxia &c. clismatibus irritantibus grana facile decem, & plura quandoque addi possunt.

Infidele ceterum remedium, atque cautissime propterea exhibendum. Quandoque emetico scopo exhibitum insperate alvum tumultuarie movet, præcipue ubi jam aliqua in diarrhœam proclivitas. Quandoque econtra alterante indicatione cautissime propinatum, vomitum causat.

Pulvis antimonialis vulgo James powder, etsi in Anglia quondam multum usitatus, atque per totam Europam fere qua arcanum divenditus, vires alias tamen non possidet, ac crocus antimonii quivis, subemeticas, alterantes, resolventes, sudoriferas. Sunt tamen, qui putant, acidum phosphoricum huic remedio inhærens, alias illi modificationes tribuere.

Tinctura antimonii a guttis viginti ad quadraginta & ultra, scopo stimulante, resolvente præscribi potest in variis morbis, supra fere memoratis.

Tinctura saponis antimonialis easdem cum sapone antimoniali vires possidet, paulisper fortius stimulantes, ab alcohole adjuncto. Dosis a guttis quindecim ad triginta, bis, serius etiam ter in die.

Monogr. Gu. Rollfinky Diss. de Antimonio. Jen. 1669.

Henr. Steiner de Antimon. plerisque ejus præpar. & virtut. Basil. 1699.

Chr. Helwigh de Antim. Gryph. 1708.

Ph. Fr. Eysel de Antim. & medicam. nonnull. ex illo. Erf. 1711.

Jo. Val. Pietsch de stibio veterum. Reg. 1715.

Jo. Dan. Reiseisen de Antimon. crudi in medicina usu. Arg. 1721.

J. A, van der Vichte de Antim. præparatis præcip. Duis. 1724.
Jo. Casp. Diethelm de selectis ex Antim. remed. Bas. 1726.
J. Stahl de salutari & noxio Antim. crudi usu. Erf. 1730.
J. G. Kapfer de medicament. antimonial. Alt. 1732.
Alex. Camerarius de Antim. Tub. 1735.
M. H. Ingwersen de Antim. Traj. 1739.
Mos. Em. de Geldereu de Antim. crudi usu interno tutu & effic. Duisb. 1742.
Jo. Fr. Fürstenau de Antim. crudi ejusq. usu int. Rint. 1748.
Jo. Juncker de Antim. crud. usu interno. Hal. 1750.
Jo. Hen. Zaencker de Antim. ejusq. virtute med. Reg. 1753.
Leop. Fr. Plappart de Antim. Vien. 1765.
Wil. Saunders de Antim. Edinb. 1765. Deutsch Altenb.
N. Meusing de Antim. Vien.
Fr. Schoenmezel Progr. de Antim. Heid. 1780.
Chr. Ad. Hartwig de nonnullis Antim. præpar. eorundemq. usu med. Lips. 1783.
Ern. Fr. Ebell de medicam. antimonial. differentia. Gott. 1784.
R. Herm. Stender analecta de Antim. Gott. 1785.
J. Fr. Ackermann de præcipuo Antim. usu. med. Kil. 1785.
Chr. G. Kralpenstein medicamentor. antimonial. conspectus. Hafn. 1787.
J. J. Westra de Antim. Gron. 1792.
F. C. N. Theyne Diſs. de Antimonial. varia indole & virt. Hal. 1792.
Wedelii partris & filii Diſs. de Antimon. diaphor. Jen. 1690. 1742.
J. Chr. Scheider de Antim. diaph. L. B. 1705.

J. H. Schulz de Ant. diaph. præpar. nat. & usu. Hal. 1738.

Fr. Chr. Juncker Diss. de activitate Antim. diaph. Hal. 1770.

Fr. Hoffmann de mirabili sulph. Antim. efficacia. Hal. 1699.

M. Alberti de sulph. Ant. aurati usu medico Hal. 1737.

Jo. God. Brendel de sulph. aurat. Ant. Gott. 1757.

Phil. C. Fabricius de sulph. Antim. aurati eximio usu in arthrit. Helmst. 1759.

C. Fr. Kaltschmied de natura sulph. aurat. Ant. Jen. 1763.

G. L. Alefeld de insigni usu sulph. Ant. aurat. in morbis a vit. lymph. ortis. Giess. 1765.

E. A. Nicolai de sulph. Antim. aur. Jen. 1763—66.

Jo. Th. Ehrhard de variis sulph. Antim. aur. par. meth. ejusq. usu med. Erf. 1775.

Jo. Ern. Th. Guericke de sulph. Ant. aur. liquido. Erf. 1776.

Chr. Koehler detto. Frf. 1782.

Gerke detto.

T. Bergmann de antimonial. sulphuratis. Ups. 1782.

J. C. Diethelm detto.

Fr. X. Millars de explorata Kerm. mineral. efficacia Arg. 1752.

Cas. Ch. Schmiedel de Kermes minerali. Erl. 1754.

Fr. X. Soetzer de Kermes minerali. Vien. 1757.

Jo. Ern. Schaper de emeticis antimonial. Rost. 1713.

J. J. Kirsten de Tartaro emetico. Alt. 1764.

Petr. Steele de Tart. emet. Edinb. 1770.

Th. Bergmann de stibio tartarisato. Ups. 1773.

J. Chr. Ostermann de Tart. emet. Gott. 1777.

Ch. P. Buch de Tart. emet. præstantia. Erl. 1777.
Höpfner von der Bereitung des Brechweinsteins. Weim. 1782.
Aasheim de tartaro emetico. Hafn. 1787.
Witting de Tart. emet. Got. 1789.
Ch. Alb. Mayer de Tinctura Antim. tartaris. [Alt. 1728.
A. Vater de Tinct. Ant. efficacia. Vit. 1739. Deutsch. Jen. 1769.
Ejusdem de Tinct. Ant. varia præpar. Vit. 1732.
S. P. Hilscher de Antim. ejusq. Tincturis. Jen. 1743.
Ph. Fr. Gmelin de Tincturis Antim. minus usitatis. Tub. 1759.
A. E. Buchner de Antim. variisque ejus tincturis. Hal. 1767.
J. Chr. Dehne de præpar. Tinct. Ant. Helmst. 1776.
Monogr. de reliquis Ant. præpar. apud nos non officinalibus vide in Baldingero.

Aqua.

Fluidum limpidum, saporis, odoris nullius, e variis fontibus ob varia heterogenea contenta aut admixta varium.

Præparatum. Destillatione in usum pharmaceuticum & medicum depuratur, atque sub nomine aquæ communis destillatæ adservatur.

Vires ob fluiditatem, penetrabilitatem, commiscibilitatem diluentes, nec minime stimulantes, antisthenicæ, refrigerantes, siti contrariæ, a temperaturæ gradu plurimum dependentes, ergo calidarum & frigidarum neqdaquam eædem, sed mul-

tum diversæ & relativæ, in diæteticis & therapeuticis fusius pertractandæ.

Usus multiplicissimus. Interne pro vehiculo infusorum, decoctorum, mixturarum, externe pro materie balneorum, fomentationum, gargarismatum, clismatum, injectionum, vaporum &c. qua ultima forma specialius emóllit & relaxat.

Monogr. Fr. Hoffmann de aquæ natura & virtutibus in medendo.

Ejusd. de Aqua medicina universali. Hal. 1712.

Chr. Lud. Charisius de Aqua, ejusq. usu. in medicina. Reg. 1716.

Nic. Creszenzo medicina del' aqua. Nap. 1727.

L. Heister de Aquæ laudibus in medicina nimiis. Helmst. 1745.

R. Lewis Untersuch. der Natur und Eigensch. des gem. Wassers, nebst Betracht. über seine medicin. Kräfte. A. d. Engl. Stend. 1792.

A. F. Mustaph Diss. de usu aquarum medico.

Reliqui Auctores in diæteticis institutionibus, quo spectant, adsignabuntur, ubi & aquæ medicatæ pertractabuntur.

Arcanum duplicatum *Offic.*

Doppelsalz. Duplicatsalz.

Sulfas lixivæ Chem. Alcali vegetabile vitriolatum. Sal medius perfectus ex basi alcalina vegetabili fixa & acido vitriolico compositus, ex residuo destillationis acidi nitri obtentus, dum nitri partes duæ cum parte una olei vitrioli tractantur. Crystallos offert pyramidales, sexlateralcs

fere, irregulares utplurimum, inter se cohærentes, vitreas, albissimas, dum purum est, saporis nauseosi, amaricantis. In aere humido non humescit, nec fatiscit, solvitur in octodecim partibus frigidæ, & in quinque circiter fervidæ aquæ. Quod vulgo venditur, raro sincerum est; mox cupro vitiatum, quod ex adfusione alcali volatilis sub cærulescentia; mox ferro, quod ex adfusione aquæ gallarum sub nigrescentia dignoscitur; mox acido prævalente syrupum violarum mutat, aut ab instillato alcali vegetabili turbatur. Pro usu interno ergo depuratione indiget. Nativum in regnis naturæ non deprehenditur.

Sal medius hic tartaro vitriolato *Taeheniano* & sali polychresto *Glaseri* per omnia similis est. Cuivis autem sal mirabilis facile substituendus.

Ingreditur pulverem antispasmodicum, electuarium purgans & contra vermes, atque aquam angelicam.

Vires sunt irritantes, incidentes, resolventes, in majori dosi purgantes; a Levreto in depositionibus lacteis specificæ laudatæ.

Dosis pro vario scopo diversa; a granis decem usque ad drachmam unam in die, scopo solvente; purgante autem major, ad duas tresve drachmas pro vario casu. Etiam ad clismata irritantia.

Monogr. Chr. F. de Lang de Arcano duplicato. Erlang. 1764.

J. Fr. Kratz de Arcano duplicato ejusq. salubritate & damno in corp. hum. sanitatem. Helmst. 1770.

Argentum, Silber.

Metallum nobile abunde notum. In lamellas subtilissimas extensum, prouti aurum, ad pilulas obducendas a nonnullis medicis adhibebatur & adhucdum adhibetur pro illis ægris, qui omnis medicaminis saporem renuunt.

Præparatum. *Lapis infernalis*, nitras argenti fusus, seu argentum acido nitri oxydatum, in sufficiente scilicet aquæ fortis quantitate solutum, solutione ad siccitatem evaporata & leni igne liquata in modulos effusum, atque in vasis optime clausis servandum. Sit coloris e fusco nigri, quodammodo in album vergentis, fragilis, intus ex centro versus peripheriam radiatus, & in aqua destillata communi penitus solubilis. In aëre humescat, minime autem mox liquescat, cito enim liquescens rejiciendus est. Qui coloris est cinerei, vel viridescentis, vel qui cum spiritu salis ammoniaci volatili tritus colorem induit cærulescentem vel viridescentem, cupro est inquinatus.

Vires et usus. Hoc præparatum modice humectatum animales partes destruit, comburit, primum albo, deinde nigro colore tingit eschara exorta. Quare ob vim suam causticam a Chirurgis loco cauterii potentialis ad venenum topicum venereum destruendum ad absumendas carnosas excrescentias, atque ad ulcera fungosa & lardacea aut callosa, nec non ad subpurationem excitandam, promovendam adhibetur. Aqua solutum, multumque dilutum ulcera detergit, staphylomata corneæ consumit, aliumque in varium chirurgicum usum

vocatur. Interne venenum est corrosivum, escharoticum præsentissimum.

Argentum vivum vide Mercurius.

Arnica *Offic.*

Wolferley. Fallkraut (Panacea lapsorum).

Arnica montana Botan. Arnica foliis ovatis integris caulinis latioribus, geminis obpositis Lin. Plantula perennis in frigidioribus Europæ alpibus, & in Carniolia prope Idriam indigena, acris cum amaritie, & trita levem fragrantem odorem spargens.

Partes usuales. *Flores.* Corolla composita radiata saturate lutea, flosculis radiis longis tridentalibus, parte ima papposis, mense Junio colligendi & siccandi. Luteum colorem referunt, dum a papposa parte separantur; odorem, dum teruntur, subbalsamicum, saporem amarescentem, acrem exhibent. Quandoque flores Inulæ dysentericæ, aut salicinæ, anthemis tinctoriæ aut hypochæreos maculatæ Lin. inepte in officinis substituuntur.

Radix mense Martio aut Aprili effodienda, calamum scriptorium & ultra crassa, inæqualis, fibrillis multis donata, extus fusco rubella, intus albicans, odoris gravis, fragrantis, nauseosi, saporis acris, subaromatici, amari. Tam radix, quam flores in vitro probe clauso serventur.

Præparata. *Extractum florum Arnicæ* ex decocto florum exsiccatorum inspissato, syrupus florum Arnicæ ex decocto florum cum duplo sacchari inspissato.

Ingrediuntur flores species resolventes.

Vires in diversis plantæ partibus diversæ. Flores resinosi, herba mucilaginosa potius, radix principio volatili scatens. Propterea radix arnicæ nonnisi infusionem, aut decoctionem levissimam admittit, quam tamen ejusdem flores sat protractam requirunt.

Flores vim possident irritantem, cum stimulo resolventem, cardialgicam, subemeticam, alterantem. Usum meretur in febribus nervosis, pituitosis, soporosis, intermittentibus, verminosis; in arthritide, rheumatismo chronico, viscerum obstructionibus, paralysi &c. Collin, Stoll, alii. Externe in contusionibus, sugillationibus, paralysi. Acetum est antidoton contra deleterios ex incauto hujus plantæ usu effectus. Hahnem.

Dosis florum in pulvere a granis quindecim ad drachmam unam in die, cum melle aut syrupo grato electuarii forma. Ab H. Collinio hocce medicamen in febribus intermittentibus cortici peruviano substituebatur. In infuso-decocto drachmæ duæ & plures pro usu interno adhibentur, plures adhuc pro fomentatione externa. Extractum in pilulis aut mixtura ad grana facile decem aut viginti de die. Syrupus consueta dosi ad Unciam semis vel integram.

Radix viribus gaudet stimulantioribus adhuc, penetrantioribus & magis resolventibus, in diar-

rhœis e debilitate intestinorum specialius laudabiles. Ob vires sic dictas antisepticas in morbis septicis & purulentis adhiberi videtur. In majori dosi vomitum causat, cardialgiam & tormina cum tenesmo.

Dosis adscendendo a granis decem in pulvere; drachma una vel duæ in infuso. Præplaceret vinosa infusio pro floribus & radice.

Monogr. Mich. Alberti de Arnica. Hal. 1719.
L. F. Meisner de Arnica. Prag. 1736.
A. E. Büchner de Arnica. Erf. 1741.
P. A. Schütt de viribus Arnicæ. Gott. 1774.
H. Collin Heilkräfte der Wohlverley. Bresl. 1777.
Item in anno med. contin. T. V.
Ign. Fried de viribus & usu Arnicæ. Vien. 1780.
Ad. M. Birkholz de Arnicæ virtute propria & specifica. Lips. 1785.
Dollinger Fascic. obs. circa vires Arnicæ Bamb.
W. H. S. Buchholz über die antisept. Kräfte der Wohlverley. 4. Erf. 1785.

Arum *Offic.*

Zehrwurzel, Aronwurzel.

Arum maculatum Botan. Arum acaule, foliis hastatis integerrimis, spadice clavato Lin. Planta perennis indigena in nemorosis & umbrosis Europæ temperatioris locis.

Pars usualis. *Radix*, mense Aprili, planta nondum florente colligenda, globosa & oblonga, digitum crassa, tuberosa, fibris paucis infra instructa, extus epidermide subbruna, quæ ab-

jicitur, vestita, intus alba, carnosa, odoris expers, succo lacteo acri scatens, linguam pungente & exurente, cutem rubefaciente. Siccando multum mitescit, hinc omni anno recens colligenda; imo fortiori igne tosta, aut aqua sæpius lota insipida fit & farinacea. Spiritus vini optimum ari menstruum est.

Vires irritantes, stimulantes, incidentes, resolventes. Usus in morbis frigidis, pituitosis, cachecticis, in ventriculi inertia, chlorosi, asthmate chronico &c. Jam ab Hippocrate commendatus.

Dosis. grana decem ad drachmam semis & ultra, optime forma pulveris. In vino medicato ad duas & plures drachmas.

Monogr. G. W. Wedel de Aro. Jen. 1701.
J. Chr. Weitsch Diss. de Aro maculato. Erl. 1798.

Assa fœtida *Offic.*

Stinkender Assand. Teufelsdreck.

Ferula Assa fœtida Botan. Ferula foliolis alternatim sinuatis obtusis Lin. Planta umbellata perennis Persiæ indigena, Hingisch dicta.

Pars usualis. *Assa fœtida*, succus gummiresinosus, qui ex radice vulnerata aut dissecta lactis instar stillat, sole condensatur, & in massis variæ magnitudinis ac figuræ nobis advehitur. Consistentiæ est cereæ, fracturæ languide splendentis, coloris flavescentis, rubescentis, fusci, interspersis molleculis albis, subpellucidis, odoris

tetri, alliacei, saporis subacris, amari, valdopere nauseosi. Dentibus subacta tenax est, calore manus mollescit. Plus gummosi quam resinosi possidet; & quidem juxta experimenta Cel. Trommsdorf in unciis quatuor Assæ fœtidæ, duæ unciæ cum semisse gummi, septem drachmæ resinæ, quinque drachmæ fibrarum lignosarum, & grana 45 olei ætherei latent. Solutio aquosa lactescit, gummosas partes recipit, resinosas dimittit, etiam in aceto vini lacteo colore solvitur; Alcohol resinam extrahit; ab oleis vix adficitur; oleum tartari cum spiritu vini mixtum, præter spiritum nitri dulcem propria Assæ fœtidæ, uti fere omnium gummi resinarum menstrua sunt. Quæ arena aut aliis heterogeneis mixta est, debili odore & sapore gaudet, rejiciatur.

Vires stimulantes, antispasmodicæ, anthelminticæ, antiputredinosæ. Magnus ejus usus in morbis nervosis, in adfectionibus hystericis, epilepsia, paralysi, in carie ossium, & ad pellendos vermes, præcipue teniam. Externe in tumoribus frigidis, ulceribus fœdis, carie & spina ventosa, atque in cancro. Pediculos quoque necat. In clismate contra meteorismum, diarrhœam & dysenteriam ex debilitate.

Dosis varia pro casus diversitate, a granis duobus usque ad viginti & ultra in die. Ad cariem ossium duas quoque drachmas per nycthemerum dederunt. Forma optima pilularis. Calore emollita assa fœtida sufficit per se, nisi alia addere scopus sit, ad pilulas formandas. Addito

extracto aliquo absque pulvere, massa pilularis nimis mollis exoritur. Cum vitello ovi subacta in mixturis exhiberi potest illis, qui ferre possunt.

Monogr. Jo. Pundt de Assa fœtida. Gott. 1778.
J. B. Trommsdorf Zerglied. des stink. Assands.
S. G. Gmelin.

Astragalus *Offic.*

Römerwurzel.

Astragalus exscapus Botan. Astragalus exscapus, leguminibus lanatis, foliis villosis Jacq. Planta perennis in Hungaria crescens, & hinc inde in Germania.

Pars usualis. *Radix* simplex, longa, teres, calamum aut & digitum minorem crassa, extus fusca, intus lignosa ex albo flava, odoris expers, saporis subadstringentis, ex dulci amariusculi.

Vires cardialgicæ, alterantes, leniter purgantes; diureticæ, diaphoreticæ nonnunquam, antiarthriticæ, dulcamaræ, mezereo &c. analogæ; an specifice antisyphiliticæ? Retulit Cl. Pr. Winterl morbos venereos in Hungariæ confinibus a mulieribus radicis hujus ope sanari. Inl. L. B. Quarin (in animadvers. pract.) casus nonnullos enarrat, qui tentamine cum radice hac instituto, vires contra veneream luem quodammodo confirmant.

Dosis Uncia semis vel integra in decocto libræ

unius. Decoctum istud quoad saporem infusum liquiritiæ prope accedit.

Monogr. H. G. Endter de Astragalo exscapo. Gott. 1789.

J. A. L. Tietz de virtute Astrag. exsc. antivenerea, memorabili exemplo confirmata. Frf. 1790.

Vide quoq. L. B. Quarin animadvers. pract. Girtanner von der Lustseuche, ubi plantæ effigies.

Aurantium *Offic.*

Pomeranze.

Citrus Aurantium Botan. Citrus petiolis alatis, foliis acuminatis Lin. Arbor sempervirens, grandæva, fœcundissima, originis orientalis, sed copiose in australi Europa, & apud nos in hybernaculis culta.

Partes usuales. *Flores*, naphæ dicti, seu potius petala florum, oblonga, crassa, alba, saporis amaricantis, subaromatici, odoris suavissimi, qui vero siccando omnis aufugit. Folia ovato-acuminata, tenacia, petiolis cordato alatis, superne nitida, læte viridia, subtus pallidiora, manu trita odorem gratum fragrantem exhibentia; saporis amarescentis, subaromatici. Fructus, abunde noti, globosi, nonnihil compressi, umbilicati, quorum cortex exterior fulvus inæqualis, copiose porosus, grate fragrans, amarescens, a fungosa interna & alba substantia purgatus, in

usu est medico, atque siccatus officinas intrat; mora vero facile corrumpitur, nigrescit, mucorem contrahit. Pulpa membranosa, succosa, novemlocularis cum 18 seminibus subovatis, callosis, grate sapida ex dulci acidula diætetico usui inservit.

Præparata. *Aqua* destillata florum Aurantiorum, Naphæ dicta, subtilissimi, gratissimi odoris. Oleum corticum Aurantiorum destillatum, dum recens, excolor & fluidissimum, ætate fuscum & in balsami crassitiem spissescens acre, aromaticum, calidum, raro sincerum, nisi, domi paretur. In insula Curassao idem oleum æthereum sub nomine Bergamottæ ex cortice recenti mali maturatissimi exprimitur, gratius fragrantiusque priori. Elæosaccharum Corticum Aurantiorum adterendo saccharum ad poma paratur, aut & consueto modo ex trituratione drachmæ unius sacchari cum tribus guttis olei essentialis obtinetur. Syrupus corticum Aurantiorum ex corticibus recentibus in quadruplo vini optimi maceratis, atque cum dupla quantitate sacchari in debitam spissitudinem coctis. Syrupus foliorum Aurantiorum ex infuso foliorum siccatorum cum duplo sacchari inspissato. Tinctura denique corticum Aurantiorum ex corticibus siccis in sexduplo spiritus vini rectificati digestis.

Ingręditur cortex præterea aquam carminativam, tincturam absinthii compositam, & stomachicam.

Vires *fructuum* in pulpa analepticæ,

siti contrariæ, antiscorbuticæ; in cortice roborantes, stimulantes, stomachicæ, carminativæ; in ventriculi & intestinorum debilitate & flatulentia, in cachexiis variis, atque in hæmorrhagiis e laxitate, præcipue uterinis, summopere commendabiles.

Dosis corticum ad plures drachmas in infuso vinoso; in pulvere (flavedo corticum) ad plura grana, gratiæ causa. Itidem Syrupus pro gratia ad mediam vel integram unciam in mixturis, decoctis, electuariis. Tinctura ab una ad duas drachmas in vehiculo requisito.

Vires *florum*, dum recentes lenissime stimulantes, nervinæ, antispasticæ. Aqua naphæ odoris gratia ad Unciam unam vel duas mixturis inmiscetur, sed recens sit oportet.

Vires *foliorum* tonicæ, leniter stimulantes, specialius antispasmodicæ. Usus eorum in morbis convulsivis, epilepticis multum invaluit. Erethysmum nervosum imminuere valent, utpote illo fere principio scatentia, quod in lauroceraso & amygdalis amaris deprehenditur.

Dosis in pulvere a drachma semis ad unam. In decocto Uncia semis aut una de die. Syrupus ab Uncia semis ad integram.

Monogr. Laur. Heister de Aurantiis. Helmst. 1741.

J. B. Ferrarii, P. Nati, Monardes et Burggravii Diss. de eodem argumento.

Andr. J. Loof Diss. sistens historiam epilepsiæ foliis Aurant. persanatæ. Gron. 1771.

Balsamum Copaivæ *Offic.*

Copaivabalsam.

Copaifera officinalis Botan. Copaifera foliis alternis, pinnatis, quadrijugis; foliolis altero latere angustioribus, alternis, exceptis ultimis Willden. Arbor generosa in Brasilia, Guinea, Maranham & Antillis sponte crescens.

Pars usualis. *Balsamum Copaivæ*, quod ex arbore sauciata, bis vel ter in anno profluit tanta copia, ut trium horarum spatio 12 fere libræ colligi possint. Liquidum resinosum syrupi consistentiæ, limpidum, primo albi, dein aurei coloris & spissius, amaricans; gravis nec ingrati odoris. Oleis pressis aut terebinthina veneta sæpe adulteratum occurrit. In spiritu vini, naphtis & oleis æthereis perfecte solvitur; ope mucilaginis cum aqua miscetur.

Vires multum stimulantes, calefacientes, diureticæ, urinæ peculiarem amaritiem inducentes; externe vulnerariæ. Inepte in gonorrhœa exhibetur, nisi e laxitate proveniat. Nocet ægris in hæmmorrhagias proclivibus.

Dosis ad grana decem, viginti & ultra cum saccharo; vel etiam forma liquida prægressa cum vitello ovorum subactione.

Monogr. Dan. Nebel de Balsamo Copaiba Heidelb. 1710. r. F. Hoppe.

Balsamum peruvianum *Offic.*

Peruvianischer Balsam.

Myroxilon peruiferum Botan. Myroxilon foliis abrupte pinnatis bijugis, foliolis suboppositis Willden. Arbor pulcherrima, tota resinosa, in calidissimis provinciis Terræ firmæ Americæ habitans.

Pars usualis. *Balsamum peruvianum*, quod vel sponte ex arbore vulnerata stillat, album, limpidissimum, & apud nos rarissimum; vel ex ligno, cortice & foliis coctione obtinetur, atque per regnum Peruvianum nobis advehitur. Resina fluidospissa, syrupi consistentiæ, ponderosa, opaca, coloris e spadiceo nigricantis, odoris suaviter fragrantis, summe volatilis; saporis aromatici, acris, subamaricantis. Cum oleis pressis non miscetur, plerorumque aliorum etiam liquidorum connubium renuit, cum oleis tamen genuinis æthereis se conjungens, & postea in alcohole solubile. Adulteratur cum balsamo copaivæ, & cum saccharo tosto; imo & spurium arte paratur, ex gemmis populi, styrace, benzoe, asphalto. Fraus nonnisi odore, præcipue sub combustione ab expertis detegitur; & dum cum balsamo copaivæ contaminatum est, instillatio olei vitrioli effervescentiam & fumum fœtentem excitat.

Ingreditur balsamum aromaticum seu Commendatoris, & emplastrum stomachicum.

Vires interne stimulantes, externe vulnerariæ, consolidantes, eædem ac prioris balsami.

Usus internus rarus, vel nullus; externe terebinthinacea nostra idem præstant. Pharmacon eo magis ergo superfluum, quod raro sincerum & purum sit.

Dosis interne a granis decem ad viginti. Externe cum melle ad ulcera.

Monogr. Fr. Hoffmann de Balsamo peruviano. Hal. 1703.

Jo. Chr. Lehmann de Bals. peruv. nigro. Lips. 1707.

Bardana *Offic.*

Klette.

Arctium Lappa Botan. Arctium foliis cordatis inermibus petiolatis Lin. Planta perennis foliis maximis in omni fere Europa crescens, apud nos ad vias & in ruderatis locis frequens.

Pars usualis. *Radix* simplex, crassa, longa, recta, extus cortice nigricante vestita, intus alba, spongiosa; odoris nullius, nisi herbacei, saporis ex subdulci amaricantis, mucilaginosi. Mense Majo colligitur & siccatur.

Ingreditur species decocti lignorum.

Vires diureticæ, diaphoreticæ adsignatæ, sed ab aqua decocti potius, quam a radice pendentes. Nescio cur puruficantes & contra acrimoniam veneream laudatæ.

Dosis Uncia una ad colaturam libræ unius in decocto, quod fatuum omnino.

Beccabunga *Offic.*

Bachbungen.

Veronica Beccabunga Botan. Veronica racemis lateralibus, foliis ovatis planis, caule repente Lin. Planta perennis ad rivos & in fossis fluentibus apud nos copiosa.

Pars usualis. *Herba recens* caule repente, foliis obpositis, ovato obtusis, dentatis, læte viridibus, tota succulenta, saporis amarescentis, aliis antiscorbuticis mitiotis. Ineunte vere colligitur, & solummodo recens efficax.

Præparatum. *Conserva Beccabungæ* ex herba recenti cum triplo sacchari parata.

Vires leniter roborantes, resolventes, specialius antiscorbuticæ laudatæ.

Dosis *succi* recenter pressi a semi uncia ad uncias duas vel tres, per se, aut cum sero lactis, aut cum aliis. Conserva ad Unciam semis sæpius in die.

Belladonna, solanum furiosum *Offic.*

Tollkirsche.

Atropa Belladonna Botan. Atropa caule herbaceo, foliis ovatis integris Lin. Planta perennis, in sylvis, locis desertis umbrosis & paludosis Austriæ, Helvetiæ, Italiæ, Angliæ, sponte crescens. Inter stirpes venenatas ferme primaria, in baccis præcipue lethifera.

Pars usualis. *Radix*, mense Martio fodienda & siccanda, longa, crassa, in plures ramos fibrosos divisa, extus e flavo fusca aut grisea, intus alba, succosa, odoris ingrati, pastinacei fere, saporis dulcis, subadstringentis. Folia mense Aprili colligenda, ovato lanceolata, tenuia, integerrima, magna cum petiolo brevi, juniora villosa, adultiora nuda, superne saturatius viridia, subtus pallidiora, saporis & odoris ferme oleracei. Ob vim deleteriam seperate siccanda, & caute adservanda.

Præparatum. *Extractum Belladonnæ* ex decocto foliorum siccatorum inspissato.

Vires in majori dosi venenatæ, narcoticæ, deliria, vertiginem cum peculiari oris siccitate, dysphagia, & oculorum caligine causantes; ad 24 aut & 48 horas permanentes. In cautissima dosi potentissime resolventes, irritantes, sudoriferæ, antispasmodicæ, specialius in cancro a Degnero & Gredingio adhibitæ & laudatæ, serius in prophylaxi contra hydrophobiam post morsum canis rabidi, in ipso furore, in diris convulsionibus, in hydrope optato cum effectu tentatæ. Folia externe resolventia, qua anodyna jam a Galeno in cancro adplicata.

Dosis. Pulvis radicis & foliorum incipiendo ab uno grano vel duobus, adscendendo paulatim ad decem vel quindecim in die. In infuso scrupulus unus herbæ pro decem unciis aquæ ad usum internum, cochleatim adscendendo. Idem infusum, vel & saturatius pro externo usu in ulceribus can-

crosis. Extractum a grano semis ab initio, adscendendo ad unum bis de die, cum saccharo. Quod ex succo foliorum paratur extractum, efficacius est. Imo in radice major, quam in herba efficacia.

Monogr. J. N. Fabri strychnomania. A. V. 1677.
J. J. Mardorf de Maniacis a Solano furioso. Giess. 1691.
Chr. H. Erndtl ex veneno salus. Lips. 1701.
M. Alberti & Oetinger de Belladonna tanquam specifico in cancro. Hal. 1739.
Tib. Lambergeri lectio inaug. sist. Ephemeridem persanati carcinomatis. Gron. 1754.
Th. Gataker de usu interno solani. Lond. 1757. (Refutat).
Will. Bromfield obs. pract. de solano ac Belladonna.
Fl. C. Bellot. utrum in cancro Bellad. usus? Par. 1760. r. C. Coste.
Th. G. Timmermann pericul. med. de Bellad. Rint. 1765.
A. G. Plaz de Atropa. Bellad. Lips. 1776. r. Darie.
B. Fr. Münch de Bellad. effic. in rab. canina. Gott. 1781.
J. H. Münch obs. pract. circa usum Bellad. Gott. 1783.
— — — — Beob. bey angew. Bellad. Stend. 1790.
J. Fr. Ludwig de Bellad. ejusque usu in Vesania. Jen. 1789.

Bellis minor *Offic.*

Gänseblümel. Maſslieben.

Bellis perennis Botan. Bellis scapo nudo Lin. Plantula in pratis nostris copiosissima.

Partes usualis. *Flores* compositi, flosculis tubulosis flavis, radiis albis. In hortis culti variant. Odor nullus, sapor exiguus, subamariusculus, levissime adstringens. Folia oblongo ovata, floribus magis mucilaginosa, ceterum earundem qualitatum.

Vires roborantes? vulnerariæ, pectorales nonnullis habitæ, refrigerantes aliis. Cur magni viri in asthmate & phthisi fatuam hanc plantam laudarunt? Infantes in majori dosi purgare dicitur.

Dosis Uncia semis pro libra infusi aquosi.

Monogr. J. P. Eyselii Bellicographia s. de Bellide. Erf. 1714.

Dan. Faber de Bellide minore. Heidelb. 1721.

Benzoë. Assa odorata *Offic.*

Benzoë. Wohlriechender Assand.

Styrax Benzoën Botan. Styrax foliis oblongis acuminatis subtus tomentosis, racemis compositis longitudine foliorum Lin. Arbor copiose crescens in insula Sumatra, item in Java & regno Siamensi.

Pars usualis. *Resina* arbore per longitudinem incisa parce obtenta, in magnis massis nobis adportata, impressionibus cannæ notatis, vel adhuc canna tectis, siccis, duris, fragilibus, opacis, rubicundo bruneis, quibus multæ inspersæ sunt moleculæ albæ vel flavescentes; odoris, præcipue si prunis inspergitur vel incalescit, suavis, penetrantis, saporis subduleis ac aromatici. Flam-

mæ admota inflammatur, in alcohole tota solvitur. Optima censetur, quæ rubescens, maculis candidis, amygdalarum instar notata, ab inquinamentis pura & suavissimi odoris est. Unicolor, brunea, nigrescens, impura rejicienda.

Præparata. *Flores Benzoës* (acidum benzoicum essentiale) sicca destillatione in cucullum papyraceum sublimantur; crystallos formant argenteas, levés, subulatas, lineares, ad tactum saponaceas, odoris debilis benzoini, saporis subacidi, fauces irritantis; in aëre invariabiles, in alcohole & lixivio alcalino optime solubiles, cum creta via humida mixtas effervescentes. Ulteriori destillatione protracta, cum flavescentibus floribus oleum butyraceum adscendit, fragrantis & suavissimi odoris. Tinctura Benzoës ex solutione resinæ in octuplo alcoholis parata, profunde ex flavo rubicunda, ex adfusa aqua lactescens, tumque lac virginum vocata, cosmetico fine a mulieribus adhibita.

Ingreditur spiritum balsamicum.

Vires interne stimulantes, resolventes, incidentes, etsi raro adhibitæ. Laudantur in asthmate frigido, in chlorosi, in mensium subpressione a laxitate, in hysteriasi. Externe discutientes, vulnerariæ, albo-cosmeticæ. Præsertim ad suffimenta.

Dosis a granis quinque ad decem & ultra cum saccharo; aut in pilulis cum aliis gummiferulaceis & extractis. Oleum interne ad guttas tres in hysteriasi, externe ad paralysin.

Tinctura ad ulcera pura, ad dentes cario-

sos & gingivarum laxitatem. Cum aqua scopo cosmetico.

Berberis *Offic.*

Weinschädling.

Berberis vulgaris Botan. Berberis racemis simplicibus pendulis, foliis obovatis ciliato dentatis. Willden. Frutex ad sepes & in sylvis nostris copiose habitans.

Pars usualis. *Fructus*, mense septembri legendi, baccæ scilicet ovatocylindricæ, umbilico fusco notatæ, uniloculares, cum seminibus duobus oblongis, in racemos congestæ; dum maturæ, amœne rubentes, grato, acido, subadstringente sapore præditæ, succulentæ, qui succus gratia & virtute vix succo citri cedit.

Præparata. *Rotulæ berberum*, ex saccharo cum succo berberino paratæ. Syrupus berberum, ex succo cum duplo sacchari.

Vires refrigerantes in æstu sthenico, siti contrariæ; aliis adstringentes, antisepticæ. In febribus universim, frequentem in usum a medicis trahuntur.

Dosis non periculosa. Succus pauperibus loco succi citri ad unciam unam pro libra liquidi adhibetur. Rotulæ & syrupus ad sitim fallendam varia dosi.

Bolus alba *Offic.*

Weiſser Bolus.

Terra argillosæ analoga, griseo alba, friabilis, subpinguis, ex Germania atque Moravia obtenta, variis principiis composita. Ob vim quamdam subadstringentem & siccantem a Chirurgis, etsi raro, in externum usum adhibetur; interne nunquam. Ex officinis exulari meretur.

Bolus armena *Offic.*

Armenischer Bolus.

Terra argillosa orientalis, etiam in Gallis, Bohemia & Episcopatu Salisburgensi occurrens, adtactu pinguis, linguæ adhærens, saporis parum constringentis, coloris e flavo pallide rubri; cum acidis mineralibus vix effervescens. Ob vim imputatam adstringentem, in primarum viarum laxitate, hæmorrhagiis &c. inepte adplicatur, melioribus substituendis.

Dosis a granis decem ad triginta & plura nisi ex mole terrestri damnum.

Ingreditur emplastrum defensivum rubrum.

Monogr. A. F. Kisewetter Diss. de Bolo. Vien 1766.

Borax.

Borax sodæ alcalescens Chem. Alcali minerale boraxatum, seu sal medius ex acido boracis (sale sedativo Hombergii) & soda prædominante compositus. Nativus, Tincal dictus, in India orientali & occidentali occurrit, terra inquinatus, a Venetis & Belgis purgatur, & soda supersaturatur. Crystallos format sex lateras columnares (vendibilis irregulares sunt), majores, solidas, semipellucidas, albas, saporis alcalini, amarescentis ex subdulci. In aëre farinescit, in duodecim partibus frigidæ, & in sex calidæ aquæ perfecte solvitur, in igne facillime fluit, & cum spuma intumescit. Depravatio ejus cum alumine, tum sapore dignoscitur stiptico, tum difficiliori liquefactione, & præcipitatione terræ aluminosæ ex instillato lixivio tartari; inquinatio vero cum sale gemmæ crepitatione super igne se manifestat.

Borax tartarisata in capite de tartaro occurret.

Vires leniter irritantes, resolventes, abstergentes. Interne menstrua, urinas pellere dicitur, externe ad maculas corneæ delendas & ad oris aphthas sanandas adhibetur.

Dosis interne scrupulus unus vel semidrachma in vehiculo aquoso, sale alio nullo addendo.

Monogr. Ch. D. Meltzer de Borace. Reg. 1720.
Mich. Alberti de Borace. Hal. 1745.
J. G. Modelius de Borace nativa. Hal. 1749.

Jac. Kaas Diss. sist. obs. quasd. de Bor. Ult. 1769.
Jo. M. de Rhoer de Boracis & salis sedat. orig. atq. usu. Gron. 1778.
P. J. Hartmann de Borace ammoniacali. Frft. 1779.
Chr. G. Gruner de virtute Boracis medicinali dubia. Jen. 1784.
Neumann exercit. de Borace.
G. F. C. Fuchs Vers. e. natürl. Gesch. des Borax. Jen. 1784.

Bryonia *Offic.*

Zaunrübe.

Bryonia dioica Jacq. Bryonia foliis palmatis, scabris Lin. Planta perennis ad sepes nostras vulgaris.

Pars usualis. *Radix* fusiformis, prægrandis, brachium sæpe crassa, carnosa, succulenta, extus flava, intus alba, odoris herbacei nauseosi, saporis acris, amari; autumno effodienda, siccanda, siccatione vero mitior evadens.

Vires interne purgantes drasticæ, anthelminticæ; externe discutientes, resolventes cum irritamento, contra tumores pertinaces a Platterо laudatæ, antarthriticæ quondam habitæ; superlaudatæ a Boerhaavio, contra maniam a Sydenhamo commendatæ. Miror, non reviviscere hodie hujus plantæ auctoritatem, ubi ceterorum venenorum tantæ decantationes. Efficax sane pharmacon in hydrope & cachexiis cum intestinorum inertia. Feculæ Bryoniæ scopo albo-cosmetico a mulieribus parantur.

Dosis. Succus expressus a drachma una adscendendo. Radicis siccatæ Uncia una in infuso vinoso librarum duarum, cochleatim exhibendo. In substantia scrupulus unus.

Monogr. Gust. Chr. Handtwig de Bryonia. Rost. 1758.

Cacao *Offic.*

Cacao.

Theobroma Cacao Botan. Theobroma foliis integerrimis Lin. Arbor Americæ calidioris, in regno Mexicano, Gujana, Cayenne, Carolina & Antillis crescens.

Pars usualis. *Semina*, nuclei rotundo oblongi, teretes, epidermide scabra, fragili, atro rubra, pulvere griseo argenteo conspersa vestiti, cum medulla grisea, in lobulos divisibili, pingui, saporisque grate amaricantis. Abundant copia muci blandi, & adhuc majori olei unguinosi. Ad parandam Succolatam, seu Cacao tabulatum vulgo adhibentur.

Præparatum. *Butyrum Cacao*, oleum scilicet unguinosum nucleorum, sebaceæ consistentiæ. Ex decorticatis nucleis, modice tostis & tritis, vel expressione obtinetur, vel coctione cum aqua blando igne elicitur. Expressione parcius provenit, spissius & cinerei coloris; coctione purius & albidius, tantaque copia, ut ex libra una nucleorum unciæ septem adquirantur. Non facile rances-

cit, atque saponi medico parando optime inservire posset.

Vires interne nutrientes, ubi bona viscera, mucilaginosæ, obviscantes, in morbis consumtivis egregiæ. Externe emollientes, relaxantes, in alvo stricta sub hæmmorrhoidibus cæcis, in excoriatione labiorum & papillarum.

Dosis ad libitum, non periculosa. Plura in diæteticis.

Monogr. Jo. ar. Spies de nuce avellana mexicana. Helmst. 1724, r. Brückmann.

B. D. Mauchard de butyro Cacao. Frft. 1736.

Calamus aromaticus vide Acorus.

Calendula *Offic.*

Ringelblume.

Calendula officinalis Botan. Calendula seminibus radii cymbiformibus echinatis, disci bicornibus Lin. Planta annua in diversis Germaniæ regionibus sponte crescens, in hortis multum culta.

Pars usualis. *Flores* recentes compositi, radiatis flosculis varie flavis, separatis calycibus per totam fere æstatem colligendi, adtactu subpingues, saporis mucilaginosi, amariusculi, odoris ingrati, fragrantis. Uterque siccatione multum perit.

Præparatum. *Unguentum de Calendula*, ex floribus recentibus contusis, dum duplo butyri ad humidi consumtionem coctis; virium ob butyrum emollientium, lenissime resolventium.

Vires florum leniter stimulantes, inepte quondam sudoriferæ, anthelminticæ, uterinæ, antispasticæ, antihydropicæ depredicatæ. In nullo usu hodie.

Calx viva.

Lebendiger, ungelöschter Kalch.

Lapis calcareus ustione acido carbonico & crystallisationis aqua privatus; sive terra calcarea caustica, alba, friabilis, saporis acris, pungentis, in aëre fatiscens in pulverem, & aquam adfusam avide cum fervida ebullitione imbibens, tuncque exstincta adpellata.

Præparatum. Calcis vivæ recenter ustæ pars una, in decem partibus aquæ successiva adfusione exstinguitur, relictaque subsedentia solutio decantata & filtrata, limpida, sub nomine aquæ calcis venit, quæ optima, dum recenter parata. Quousque in lagena sedimentum non deposuerit, atque a solutione mercurii sublimati corrosivi aurantio tingitur colore, eousque non penitus perdidit vires.

Ingreditur præparationem lapidis caustici, ad acidum carbonicum absorbendum.

Vires aquæ calcis interne sunt acidum absorbentes, anthelminticæ, in calculo renum a Car. Alstonio multum laudatæ. Externe sunt depurantes, exsiccantes, & resolventes; inde magnus externus usus in ulceribus cancrosis, aliis sordidis, in tumoribus œdematosis &c. Etiam depilatorio

scopo, cum auripigmento. Jam Hippocrates aquam calcis in lepra externe adhibuit.

Dosis. Aqua calcis ab Unciis duabus ad quatuor & plures de die exhibetur, cum lacte, aut sero lactis dulci. Externe per se, aut cum spiritu vini camphorato in necessaria quantitate. Ne uncatur autem cum acidis, aut aliis salibus.

Monogr. Jo. G. Tranæus de Calce viva. Par. 1685.
J. J. Fick de Calce viva. Jen. 1725.
J. Juncker de Calce viva. Hal. 1733.
J. Fr. Cartheuser de aquæ Calc. vivæ usu interno. Frf. 1743.
G. Ch. Detharding de aquæ Calc. vivæ usu interno salutari. Rost. 1746.
Rob. Whytt de mira aquæ Calc. vivæ virtute. Edinb. 1755.
J. B. Schaller de usu Calcis. Jng. 1767.
Rud. Aug. Vogel de curat. cancri per aqu. Calcis. Gott. 1769. r. Baumbach.
J. A. A. Amburger de Calce viva. Giefs. 1776.
H. Dueckell Diss. de aquæ Calc. indole & usu. Marb. 1798.

Camphora *Offic.*

Campher.

Laurus Camphora Botan. Laurus foliis triplinerviis lanceolato - ovatis Lin. Arbor copiosissime in Japoniæ sylvis spontanea, etiam in Java, Borneo, Sumatra & in Capite bonæ spei habitans.

Pars usualis. *Camphora*, quæ coctione radicis & ligni hujus arboris, & sublimationis quadam specie obtinetur; stramine autem adhærente aliisque heterogeneis inquinata, prouti ex Japonia cruda transmittitur, repetita sublimatione in Belgio & Germania depuratur, rafinatur. Datur etiam nativa, ex nudo arboris trunco exsudans, omnium optima, a patria Borneensis dicta, sed patriæ fines nunquam transscendens, utpote incolis pretiosa.

Depurata Camphora in massas seu panes orbiculares, in medio communiter perforatas, ultra pollicem crassas coacta, alba est, levis, transparens, nitida, fragilis, solida, ad adtactum subpinguis, inter dentes subtenax, fracturæ splendescentis & crassis granis crystallinæ, odoris proprii gravissimi, balsamici, saporis acris, aromatici, amaricantis, cum sensu primo ustionis, postea refrigerationis insignis. Aquæ innatat, atque adeo inflammabilis est, ut aquæ innatans ardeat; cinerem nunquam relinquit. Aëri libero exposita sensim avolat, quare optime clauso vase servanda. Per se in pulverem non redigitur, nisi aliquot guttulis spiritus vini inrorata. In alcohole, in acido vitriolico & nitroso, atque in oleis perfecte solvitur, minime vero in aqua, cui nonnisi mediante mucilagine aut ovi vitello miscetur; imo ex solutione in spiritu vini denuo præcipitatur aqua adfusa.

Camphora est singularis substantia, nec penitus resinosa, nec gummosa; atque videtur peculiare vegetabilium principium constituere, singu-

laris plane naturæ; ulteriori chemico scrutinio ob volatilitatem summam resistens. Plures sunt stirpes, quæ camphoram aut camphoræ similem substantiam largiuntur, ac præcipue ex oleis suis æthereis inveteratis dimittunt, quemadmodum rosmarinus, salvia, hyssopus; radix zedoariæ, millefolium, thymus, mentha piperita, lavandula, chenopodia plura &c. sed absque lucro.

Præparata. *Spiritus vini Camphoratus* ex Uncia Camphoræ in libra spiritus vini rectificatissimi soluta.

Ingreditur acetum antisepticum, emplastrum defensivum, diabotanon, saponatum & vesicatorium, unguentum album camphoratum & de tutia.

Vires inepte quondam antiphlogisticæ habitæ ob sensum refrigerii in lingua; omni respectu stimulantes, calefacientes, diaphoreticæ, nervinæ, penetrantes & summe diffusibiles, resolventes, anthelminticæ; antiputredinosæ; peculiarius comprobatæ in febribus nervosis, malignis, systemate nervoso multum adfecto, in febribus inflammatoriis in gangrænam terminandis aut terminatis, in febribus exanthematicis cum vitali debilitate, in stranguria ex usu cantharidum, in morbis nervosis chronicis, epilepsia, mania &c. Laudatæ quoque in hydrophobia; sed absque ratione. Effectus hujus remedii non diu permanentes, sed transitorii. Sunt qui narcoticas ei vires adscribunt, relativas omnino. Nam major dosis more omnium stimulantium, temulentiam, vertiginem &c. inducit. Antidoton in opio. Hahnem. Externe ob vires irritantes,

discutientes, resolventes, antiputredinosas, ad contusiones & sugillationes, ad tumores frigidos, & ad partes spurie inflammatas, ophthalmias chronicas, erysipelata, ad gangrænam, cariem ossium, ulcera fœtida & verminosa, ad morbos cutaneos.

Dosis interne a grano uno ad quinque, decem, viginti & ultra de die, prouti circumstantiæ postulant; in majori dosi facile fauces exurit. Multae idiosyncrasiæ penitus abhorrent ab hoc medicamine. Optima forma in pulvere cum saccharo aut cum aliis stimulantibus, dosibus refractis, sed sæpius repetitis. In decoctis, mixturis, emulsis ope mucilaginis subigi, & sæpe concuti lagena debet. Simili ratione in clismatibus præscribitur. Externe quoque in sacculis, in unguentis, in linimentis spirituosis & oleosis, in fomentationibus ope mucilaginis gummi arabici commiscibilis reddita exhibetur. Frustulum camphoræ cuti adplicatum rubefaciente modo agit.

Monogr. God. Moebius, anatome Camphoræ, ejus orig. qualit. præp. & vires. Jen. 1660.
G. W. Wedel de Camphora. Jen. 1697.
Fr. Croneberg de Camphora. Marb. 1697.
J. Fr. Cronovius historia Camph. L. B. 1715.
Fr. Hoffmann de usu Camph. interno. Hal. 1717.
Mich. Alberti de circumsp. Camph. usu. Hal. 1722.
Gravii epistola de Camph. qualitatibus.
L. B. Trallesii exercit. de virt. Camph. refrig. Vrat. 1734.
H. P. Juchius de salut. & noxio Camph. usu Erf. 1737.
L. Fr. Meisner de Camphora. Prag. 1737.

Ch. H. Haenel de Camph. L. B. 1739.
J. H. Schulze nonnulla ad Camph. spectantia. Hal. 1744.
J. Fr. Cartheuser de insigni Camph. activit. medica. Frf. 1745.
G. S. Kechelen de gen. Camph. ejusq. raf. Arg. 1748.
P. A. Agliardi de Camph. Vien. 1754.
A. D. Prange de Camph. virt. anthelm. Gott. 1759.
A. H. Evers de Camph. usu externo. Buez. 1765.
J. Laur. Pirck Difs. de Camph. Vien. 1767.
Corb. Griffin de virib. Camph. Edinb. 1769.
Sam. Friderich de Camph. Basil. 1771.
Seb. Severi de Camph. Par. 1776.
Von den Wirkungen des Camphers. Altenb. 1776.
Dan. A. Kosegarten de Camph. Gott. 1785.
Nic. Konz de præst. sed cauto Camph. usu. Arg. 1789.
G. J. van Haecht Difs. de usu med. Camph. Loo. 1792.
A. Dörffurt Abhandl. über den Campher. 1793.
J. Church Difs. on Camphor. Philad. 1797.

Cancrorum lapides *Offic.*

Krebsaugen.

Cancer pagurus & astacus Lin. dum testam veterem mutat, & simul membranam interiorem ventriculi exuit, quod mense Julio & Augusto fieri solet, inter ventriculi — qui penes caput jacet — tunicas, concrementa calcarea offert, unum in utroque latere ventriculi, quæ lapidum sive oculorum cancrorum nomine veniunt. Hi lapides constant e terra calcarea mucilaginosis par-

tibus mixta, figuræ sunt orbiculatæ, uno latere convexæ, altero planæ, margine vero elevato, compagis solidæ, lamellatæ, coloris albi, interdum rubelli, odoris nullius & saporis terrestris, linguæ ac labiis non adhærent. In aqua non solvuntur; cum acidis pars terrestris effervescit & solvitur, mucilaginosa parte intacta. Eligantur pro officinis genuini, majores, integri, ex Russia, Polonia, Moldavia adlati, non artefacti ex terra nempe calcarea & tragacantha parati, linguæ adhærentes, & in aqua dissolubiles.

Ingrediuntur pulverem anodynum & antiepilepticum, dentifricium album & rubrum.

Vires acidum absorbentes, magnesiæ muriæ viribus analogæ. Usus in acido primarum viarum, præcipue lactantium; etiam in fluore albo, in vomituritione ex chymo rancido & in vomitu nervoso ipso, sub effervescentia cum acido addito. Cum vino diureticum & antihydropicum medicamen.

Dosis a granis quinque ad viginti & ultra cum rheo vel aliis indicatis, optime forma pulveris. Subplent vires pretiosarum perlarum quondam usitatarum, & subplentur a testis ovorum & terra quavis calcarea pura.

Monogr. M. Alberti de lapidibus Cancrorum. Hal. 1731.
J. J. Kirsten de lapid. Cancr. Alt. 1731.
J. E. Craff de lapid. Cancr. citratis. Alt. 1762.

Canella alba *Offic.*

Weiſser Zimmet.

Canella alba Botan. Arbor generosissima baccifera laurifolia aromatica, fructu viridi. Habitat in India occidentali, præcipue Jamaica & Carolina.

Pars usualis. *Cortex*, qui nobis advehitur in fragiles, crassos, oblongos tubulos convolutus, ab exteriori epidermide liberatus, intus albens, foris parum flavescens intercurrentibus striis rubellis, odoris debilis, nisi contundatur, aromatici; saporis calidi, aromatici, caryophyllacei.

Vires stimulantes, roborantes, stomachicæ, carminativæ. Usus rarus in ventriculi morbis a laxitate; atque ad gratiam medicaminum exaltandam.

Dosis a granis quinque usque ad viginti in pulvere.

Cantharis *Offic.*

Spanische Mücke.

Meloe vesicatorius Lin. Insectum caleopterum, oblongo corpore, magnitudinis muscæ majoris, ponderis granorum fere trium, coloris ex aureo viridis lucentis, odoris fœtidi, peculiaris, virosi, saporis picei, acris & corrosivi. Habitant in regionibus calidioribus, Hispania, Gallia & Sicilia,

quandoque & incertis fere temporibus in Germania, & tota propemodum Europa æstivis mensibus; ubi imprimis fraxino, platano, ligustro, populo alba, salice & sambuco delectantur. Concussis arboribus decidunt supra linteum extensum, suffocantur vapore aceti aut sulphuris, aut in furno necantur, adservanturque. Diu adservata in pulverem fatiscunt minus efficacem; quare recentes cantharides seligendæ. Minores majoribus præferendæ; nec non caput, pedes & alæ minus efficaces sunt, quam corporis truncus.

Vis cantharidum vesicatoria spiritu vini tota extrahitur, nequaquam aqua; proptereaque potius in resina, quam in sale alcalino volatili earundem residere videtur.

Præparata. *Tinctura Cantharidum* ex parte una cantharidum pulveratarum in duodecim partibus spiritus vini rectificati per tres dies digesta, saturate flavo viridis, & fœtore insectorum imprægnata. Emplastrum vesicatorium ex pulvere cantharidum cum cera citrina, oleo olivarum, terebinthina & pauxillo camphoræ paratum.

Vires interne summopere irritantes, in majori dosi causticæ usque ad necantem effectum cum perpetuo & summo conatu ad mingendum; in minori dosi aphrodisiacæ & diureticæ. Non semper tamen copiam urinarum augent, quin imminuunt potius, sed vias urinarias specifice irritant & inflammant. Externe rubefacientes, vesicantes, systema uropoeticum æque ac interno usu irritantes, promotis sudoribus alvum inhibentes.

Usus interne in urinæ incontinentia, diabete, in hydrope, in tussi convulsiva, paralysi & hydrophobia, prophylæctico præcipue contra hoc malum scopo. Eo fine Hungari cantharides in aceto, Pooni in melle totas conservant, ut demorsis a cane rabido hominibus & pecori propinare illico possint. Usus externe, scopo tum rubefaciente, tum vesicatorio; irritante scilicet & excitante, in febribus nervosis & malignis cum vitali debilitate, cum pertinacibus topicis organorum adfectionibus, cum sensibilitate & irritabilitate inminutis, derivatorio a parte adfecta, ut ajunt, fine, aut causando in remoto loco per stimulum irritantem morbum. Præterea in doloribus chronicis, in hemiplegia & paralysi, in odontalgia, herpete &c. Sæpe etiam ad fonticulum formandum, ad ulcus artificiale producendum, ad variolarum insitionem, ad venenum rabidum destruendum, evocandum, ad subpurationem promovendam &c. cantharides adplicantur.

Vesicantia emplastra cum cantharidibus parata, plurimos simul alios e fortiori incitamento pendentes secundarios & subalternos effectus in corpore producunt, viribus varie relativis ad conditionem ægri & morbi. Sic febrim excitant vel augent circulo accelerato, sitim causant, sudores movent, vires extollunt, spasmos reserant, congestiones levant, serum evacuant &c. Actio quoque eorum in humores secundaria, & non primaria est. Tempore multum diverso vires suas exserunt. Mox post primam alteramve horam, præ-

cipue in infantibus & teneris; mox post decimam aut duodecimam primo horam, partem inflammant, irritant, rubefaciunt, cui adplicantur; mox nullum effectum exserunt, ubi vitalitas languet. Stranguria raro prius ac inter duodecimam & vigesimam quartam horam exoritur. Recentia emplastra promptius agunt vetustis; promptius quoque, si prius pars, cui adponuntur, vel aceto, vel allio aut cepa, vel spiritu salis ammoniaci &c. vel mechanica frictione irritatur. Mala illa methodus est, denudatis nervorum papillis cantharides denuo inspergendi.

Aretæus ad vesicas excitandas cantharidibus primus usus est. Arabibus vesicantium usus jam quidem notus fuit, sed negligebatur multum ex medicorum timiditate, donec XVII. Seculo circa annum 1676 a Mercuriali in febri pestilentiali confirmatus fuerit. Plura de vesicantibus in Therapia generali & speciali.

Dosis. Interne a quarta parte grani adscendendo successive ad unum vel duo grana de die, pulvis cantharidum exhiberi potest, præcipue cum camphora, quæ antidotum hujus veneni, & sub usu potus mucilaginosi aut emulsi. Similiter tinctura ad guttas quinque, usque decem & ultra adhiberi potest. Attamen raro, & summis cum cautelis heroicum hocce remedium interne exhibeatur. Externe pulvis, tinctura, emplastrum, varia dosi & varia duratione adplicanda, prouti vel resolvendi, vel excitandi & rubefaciendi, vel vesicas causandi scopus.

Monogr. Bern. Albinus de Cantharidibus. Frf. 1687.
J. Dan. Geyer de Canthar. Lips. 1687.
M. Kirchdorf de Canthar. Reg. 1711.
J. Groenevelt de tuto Canthar. usu interno. Lond. 1713.
G. W. Wedel de Canthar. Jen. 1717.
Gu. Whitaker de Canthar. L. B. 1718.
C. G. Stenzel de Canthar. Vit. 1740. 1741. 1743. 1747.
Al. Hunter de Canthar. Edinb. 1751.
Lud. Fr. Rumpel de Canthar. ear. interno & ext. usu. Erf. 1767.
Chr. Fr. Jaeger de Canthar. ear. actione & usu. Tub. 1769. r. Kaiser.
Alexander Diss. de Cantharidum historia & usu. Edinb. 1769.
Fr. Ph. Berset Diss. de Canthar. Oenop. 1771.
Rud. Forsten Canthar. hist. nat. chem. & med. L. B. 1775.
J. Carson de Canthar. hist. operat. & usu. Edinb. 1776.
Car. a Linnè Meloe vesicator. in Amoen. acad.
P. E. Hartmann de hyperdiuresi ex perverso Canth. usu. Frf. 1780.
Jo. Conr. Stoikar a Neuforn de Canthar. usu interno. Gott. 1781.
Mat. Schlechtleutner de vir. & usu Canth. Vien. 1783.
Gu. P. Hayle de Canth. nat. & usu. L. B. 1786.
Loschge Beytr. zur Gesch. der span. Flieg. im Naturforscher.
Toti di Fojano de l'efficacia delle Cantharidi. Paris 1793.
J. J. Schinow de Cantharid. Frf. 1794.

Capillus Veneris *Offic.*

Frauenhaar.

Adiantum Capillus veneris Botan. Adiantum frondibus decompositis, foliolis alternis, pinnis cuneiformibus lobatis pedicellatis Lin. Filix, quæ in Italia, Helvetia, Gallia, præcipue circa montem Pessulanum in Languedocia copiosissime nascitur.

Pars usualis. *Herba* caulibus tenuibus, siccis, ramosissimis, foliis ovatis, dentatis, cum partibus fructificationis in margine, odoris debilis, non ingrati, saporis ex dulci acerbi, submucilaginosi.

Præparatum. *Syrupus Capillorum Veneris* ex infuso herbæ cum duplo sacchari; celeber in Gallia pro jentaculo, cum lacte, cum potu theato, aut cum succo citri.

Vires lenissime stimulantes, incidentes, submucilaginosæ, quare pectorales; nescio cur diaphoreticæ, diureticæ laudatæ. Usus vulgaris in tussi catarrhali, contra quam a plebe expetitur.

Dosis herbæ ab Uncia semis ad unam pro infuso. Syrupus ad unam vel duas Uncias in die, pro linctu, aut pro infusis edulcorandis.

Cardamomum minus *Offic.*

Cardamömlein.

Amomum repens Botan. Amomum scapo ramoso decumbente, foliis lanceolatis Willden. Planta aromatica perennis, in Malabaria copiosius crescens & Ceylonia.

Pars usualis. *Semina.* Olim tres diversitates seminum Cardamomi in officinis adservabantur, hodie solum semina fructus Cardamomi minoris officinas intrant. Fructus est capsula trivalvis, valvulis flexilibus, dissepimentis membranaceis; trilocularis, striata, pallide lutea, petiolo exiguo, apice decidua, cum duplice seminum inter se cohærentium serie. Semina ipsa sunt angulata, multiformia, rugosa, extus subrufa, intus alba, referta medulla alba; odoris fragrantis, saporis grate aromatici, amaricantis, acris, camphoracei. Olei ætherei albi $\frac{1}{24}$ inest.

Ingreditur spiritum aromaticum & balsamicum.

Vires stimulantes, carminativæ, incidentes. Scopo stomachico a nonnullis, ast raro in usum vocantur.

Dosis in pulvere a granis quatuor ad decem. In infuso vinoso drachmæ duæ & plures.

Monogr. Rud. J. Crause de Cardamomis. Jen. 1704.

Jo. R. Spielmann Cardam. histor. & vindiciæ. Arg. 1762.

Carduus benedictus *Offic.*

Cardobenedict.

Centaurea benedicta Botan. Centaurea calycibus duplicato spinosis lanatis involucratis, foliis semidecurrentibus denticulato spinosis Lin. Planta annua in Hispania, & insulis Archipelagi sponte crescens, in hortis pharmaceuticis culta.

Pars usualis. *Herba* sicca, foliis oblongis, denticulato spinosis, venosis, asperis, profunde viridibus, saporis intense amari, odoris ingrati, qui vero siccatione perit. Quondam extractum prostabat amarum, quod vero aptius ex indigenis plantis paratur.

Vires roborantes, stomachicæ, resolventes, in majori dosi more amaricantium purgantes; laudabiles in febribus intermittentibus, in cachexiis, in viscerum obstructione & ventriculi laxitate. Facile indigenis & melioribus subpletur.

Dosis. Uncia semis vel una herba in infuso protracto aquoso, quod omnes medicatas partes abripit, & minus nauseosum est decocto.

Monogr. G. C. Petri Asylum languentium, seu carduus sanctus, vulgo benedictus, medicina patrumfamilias polychresta, verusq. pauper. thesaur. Jen. 1669.

G. C. Otto Diss. de Carduo bened. Arg. 1738.

Carica. Ficus *Offic.*

Feige.

Ficus Carica Botan. Ficus foliis palmatis Lin. Arbor in Asia, in Archipelago & in reliqua Europa calidiori spontanea crescens, apud nos in ficetis culta.

Pars usualis. *Fructus* siccati seu Caricæ (potius receptacula fructuum) in formam orbicularem compressi, coloris ex albo flavescentis, pulpa subviscida, dulcissima, seminibus plurimis exiguis, lenticularibus instructi. Caricæ de Smyrna & de Genua sunt majores, Marsiliensis magis pingues, sed minores & valde corruptibiles. Rejiciantur duræ, & insectis erosæ.

Vires interne nutrientes, mucilaginosæ, demulcentes sic dictæ in tussi sicca & raucedine. Externe emollientes, maturantes, ad gingivas & tonsillas inflammatas, forma gargarismatis, colutorii.

Dosis Uncia una vel duæ ad decoctum libræ unius.

Monogr. Car. a Linnè Ficus. Ups. 1744.
Petr. Lorie Ficus maturans. Duisb. 1783.

Carvi *Offic.*

Kümmel.

Carum Carvi Botan. Carum caule ramoso, vaginis foliorum ventricosis, involucro partiali

nullo Willden. Planta biennis in pratis frequens spontanea, etiam arte in agris culta. Prior acriora, posterior majora & gratiora semina profert.

Pars usualis. *Semina* mense Junio & Julio colligenda, parva, ovato oblonga, uno latere concava & striata, altero plana, incurva, obscure brunea, saporis calidi, aromatici, subamari, acris, odoris fragrantis. Aquæ & spiritui vini vires communicant.

Præparata. *Aqua seminum Carvi* destillata. Oleum seminum Carvi destillatum ex albo flavescens, insigniter calidum & acre $\frac{1}{16}$ fere in seminibus contentum. Spiritus seminum Carvi ex seminibus in octuplo spiritus vini digestis, abstrahendo duas tertias.

Ingreditur aquam carminativam.

Vires stimulantes, carminativæ, in doloribus colicis, absente inflammatione, usitatæ.

Dosis. Semina in pulvere a granis decem ad viginti; in infuso aquoso aut vinoso ad drachmas duas & plures. Aqua ad Uncias duas vel tres in mixturis. Oleum a gutta una ad duas cum saccharo. Spiritus ad drachmam unam, duas, & plures.

Monogr. Jo. Lud. Milhav de semine Carvi. Arg. 1740.

Caryophyllata *Offic.*

Benedictwurzel.

Geum urbanum Botan. Geum floribus erectis, aristis uncinatis nudis, foliis caulinis ternatis,

radicalibus lyrato pinnatis. Planta perennis in locis ruderatis & ad sepes copiosissima.

Pars usualis. *Radix*, tempore verno herba progerminante colligenda, in umbra siccanda & clauso vase servanda, calamum aut digitum crassa, plurimis longis fibrillis stipata, nequaquam rejiciendis, extus subfusca, intus ex albo rubella, odoris aromatici ad caryophyllaceum accedentis, saporis similis, austeri & amari. Aquæ & spiritui vini vires suas cum colore obscure rubro impertit; contrita pulverem pallide rubellum sistit. Rayo & antiquioribus jam nota & in usum vocata fuit, a Buchhavio denuo oblivioni erepta. Inepte substituitur geum rivale, omni odore carens.

Vires roborantes, subadstringentes, leniter stimulantes, male cortici peruviano analogæ dicuntur. In febribus intermittentibus, diarrhœa & dysenteria a laxitate, cachexia, debilitate post morbos devictos &c. aliqualem usum merentur, ubi peruvianus cortex non præsto est.

Dosis pulveris a semidrachma ad integram ter, quater de die. Etiam in electuario. Pro decocto Uncia semis & integra.

Monogr. R. Buchhave Observ. circa radicem Gei urbani. 1781.

— — — — de Gei urbani utilit. in febr. interm. Marb. 1786.

Anjou de radice Caryophyllatæ. 1783.

Weber de nonnullor. febrifugor. virtute & speciatim Gei urbani. Kil. 1784.

J. R. de Vassy Diss. de viribus Gei urbani. L. B. 1799.

Caryophyllus *Offic.*

Gewürznelken.

Caryophyllus aromaticus Botan. Eugenia caryophyllata Willden, foliis integerrimis oblongis acutiusculis, pedunculis trichotomis, paniculis axillaribus & terminalibus, calycibus repandis, fructu elliptico. Arbor insularum Moluccensium ex aridissimo solo excrescens, nunc & in alias calidiores regiones transplantata, tota aromatica.

Pars usualis. Flores cum perianthiis nondum expansi, siccati, *Caryophylli* dicti, clavi figuram simulantes, constantes ex globulo facile deciduo a calyce floris & corolla formato, atque ex germine infero subtereti, pollicem vix longo, ad basim nonnihil angustato, & obducto ab alio calyce crassiore supra quadripartito. Vulgare culinarum aroma, coloris extus atro rufi, intus obscure brunei, odoris fortis, grati, peculiaris, saporis acris aromatici, subamari, ferventis, diu in lingua permanentis. Seligantur grandes, egregie rufi, ponderosi, fragiles, ungue pressi oleum exsudantes, aromate fraudulenti lucri causa nondum privati. Aqua odoras partes, spiritus vini sapidas avidius abripit.

Præparata. *Oleum Caryophyllorum* æthereum, destillatione obtentum, $\frac{1}{8}$ fere caryophyllorum melioris notæ, aqua specifice gravius, odoris caryophyllacei fragrantissimi, saporis ferventis, coloris ab initio dilutissime flavi, mora

autem saturatius evadens. Ex Belgio vel India transmissum, nativo in loco destillatum profundioris coloris est, tinctura caryophyllorum aut aliis olois plerumque inquinatum & adulteratum, tantamque acrimoniam possidens, ut cutem adurat & inflammet. Balsamum Caryophyllorum ex parte una olei caryophyllorum ætherei, cum tribus partibus olei pressi nucis moschatæ.

Ingrediuntur acetum antisepticum, balsamum embryonis, salem volatilem oleosum, pulverem dentifricium, spiritum aromaticum & melissæ compositum, atque tincturam aromaticam acidam.

Vires stimulantes, summopere calefacientes, carminativæ, stomachicæ. Pulveris aliquot grana ingratis medicaminibus ad gratiam & stimulum adduntur, atque electuariis gingivalibus admiscentur. Vires olei interne calefacientes, externe irritantes, causticæ, in carie, odontalgia cariosa, paralysi linguæ adhibendæ.

Dosis in pulvere a granis quatuor ad decem, in infuso vinoso drachma una & plures. Olei gutta una vel duæ cum saccharo; plures gossypio exceptæ atque denti carioso impositæ ad nervi sensilitatem destruendam. Ejusdem aliquot guttæ cum saccharo infra linguam paralyticam adplicandæ. Balsamum caryophyllorum usui externo destinatur, inungendo illud partibus paralyticis, aut abdomini in colica flatulenta, aut temporibus, labio superiori, carpo &c. in animi deliquio.

Monogr. Fr. Hoffmann de Caryophyllis aromaticis, Hal. 1701.

Thunberg Diſs. de Caryoph. arom. Ups. 1788.

Cascarilla *Offic.*

Schakarille.

Croton Cascarilla Botan. Croton foliis lanceolatis acutis integerrimis, petiolatis, subtus tomentosis, caule arboreo Lin. An non autem Clutia Elutheria Lin? Frutex in America meridionali, in regno Peruano, in Jamaica, Florida & insulis vicinis obvius.

Pars usualis, *Cortex*, qui prostat in frustis tubulosis, plus minus convolutis, pollicem circiter longis, & lineam unam alteramve crassis, solidis, compactis, ponderosis, extus rugosis, epidermide cinereo alba vestitis, interne ferrugineus, saporis amari, aromatici, acris, odoris debilis, sub contusione aut accensione vero fragrantioris & aromatici, ad moschi vel ambræ odorem accedentis. Juxta experimenta Celeb. Tromsdorfii in 16 partibus hujus corticis 10½ partes fibrarum lignosarum fatuarum latent; quare cortex hic efficacior in decocto, quam in pulvere esse debet.

Vires adstringentes, roborantes cum stimulo, stomachicæ, in febribus intermittentibus, diarrhœis & dysenteriis a laxitate efficaces. Ad finem seculi XVII a Stissero & Apino primo tentatæ. Ad suffimigia ob gratum ambræ æmulum odorem additur.

Dosis Uncia una pro libra infusi decocti.

Monogr. Fr. Hoffmann de cortice Cascarillæ. Hal. 1708.

Cassia Fistula *Offic.*

Rohrcassie.

Cassia Fistula Botan. Cassia foliis quinquejugis ovatis acuminatis glabris, petiolis eglandulatis Lin. Arbor in utraque India copiosissime crescens.

Pars usualis. *Siliquæ* longæ, teretes, plus minus incurvæ, pollicem crassæ, unum duosve pedes longæ, nigricantes, inter diaphragmata vel septa pulpam dulcem nigellam & semina complectentes. Graviores & medulla refertæ eligendæ.

Præparatum. *Pulpa Cassiæ* e medulla siliquarum in fervida aqua soluta, filtrata & evaporata obtenta, cum pauxillo sacchari adhuc edulcorata.

Vires refrigerantes, solventes, leniter purgantes absque torminibus.

Dosis pulpæ pro infantibus drachma una, pro adultis uncia una, duæ & plures, forma electuarii vel mixturæ. Sunt qui in clisteribus eam quoque præscribunt.

Cassia lignea *Offic.*

Mutterzimmet.

Laurus Malabathrum Burm. Arbor copiosa in Malabaria. An Laurus Cassia Lin.? An Laurus Cinnamomum Lin.? nonnisi loco natali ab illa arbore discrepans, quæ verum cinnamomum exhibet?

Pars usualis. *Cortex* interior, ast lignosior, saporis magis mucilaginosi & odoris debilioris, quam verum cinnamomum. Valde superfluus, ubi cinnamomum habetur.

Vires & dosis vide Cinnamomum.

Castoreum *Offic.*

Bibergeil.

Castor Tiber Lin. Animal mammale quadrupes, ex genere amphibiorum, magnitudinem fellis superans, caude piscem integrum referente, & posterioribus anserinis pedibus se distinguit; Americæ septentrionalis, præcipue Canadæ, nec non septentrionalis Europæ, Moscoviæ, Poloniæ, Borussiæ incola.

Pars usualis. *Castoreum* liquidum oleosum in folliculis seu vesicis propriis juxta anum secretum. Hi folliculi tam in maribus quam feminis utrinque in inguinibus inter partes genitales & anum jacent, & non sunt testiculi, ut aliqui crediderunt; una cum suo humore contento abscindun-

tur, extus lavantur, fumo indurantur, unde & humor exsiccatur. Prope hosce duos folliculos adhuc duo, sed minores jacent, qui continent axungiam castorei, ob odorem castoreo ipso multo debiliorem, in officinas non amplius susceptam. Optimum castoreum ex Moscovia adlatum, in folliculis siccis occurrit, magnis, ponderosis (pondus ab Uncia semis usque ad quatuor uncias), subcarnosis, gibbis, solidis, subrotundis, vesicam felleam fere præsentantibus, substantia repletis tenaci, aut & siccatione solida & fragili, coloris obscure fusci, in cellulis membranosis inclusa, odoris peculiaris subnarcotici, virosi, ingrati, saporis amaricantis, subacris & nauseosi. Hæcce substantia tam aquæ, quam spiritui vini principia sua communicat, sed neutri perfecte; melius menstruum spiritus nitri dulcis & vinum sistunt; sed optime omnia principia medicata in pulvere sunt concentrata. Caveant pharmacopoli ab omni fraude & adulteratione cum hocce pharmaco, quod rarissime sincerum & optimæ notæ haberi potest. Imo artificiale deceptores parant, ex galbano, gummi ammoniaco & pauxillo pulveris castorei in testiculos hædiculorum intrusis.

Præparata. *Aqua Castorei* destillata, quam & rutæ herba & alcoholis portio ingreditur. Tinctura Castorei cum sexduplo spiritus vini & pauxillo alcali vegetabilis ad perfectiorem subactionem & miscelam. Trochisci de Castoreo ex pulvere castorei cum saccharo & mucilagine tragacanthæ parati, ponderis granorum trium.

Ingreditur spiritum balsamicum & pulverem antiepilepticum cum castoreo Rindscheidleri.

Vires stimulantes, nervinæ, antispasticæ, specialius uterinæ, in paroxysmis hystericis præcipue laudatæ; etiam in epilepsia cum fructu tentatæ. Nimis irritabilibus & plethoricis non conveniunt.

Dosis in substantia a granis quinque ad decem, forma pulveris aut pillularum. Aqua ad semiunciam pro dosi; tinctura ad drachmam semis. Trochisci ob gratiam delicatulis.

Monogr. A. H. Fasch de Castoreo. Jen. 1677.
J. Franci Castorologia. A. V. 1685.
J. Vesti de Castoreo. Erf. 1701.
S. P. Hilscher de Castor. natura & usu. Jen. 1741.
Thim. Buck de Castor. Edinb. 1752.
Marii Diss. de Castoreo.
Haar analysis Castorei. Erl. 1795.

Catechu. Terra japonica *Offic.*

Catechu.

Mimosa Catechu Botan. & Areca Catechu Lin. arbores, quarum prior in India orientali, Bengala, Malabaria, Pegu & Indostan, posterior in toto fere regno sinensi copiose occurrit.

Pars usualis. Extractum siccum, ex ligno, corticibus atque fructibus dictarum, variarumque aliarum arborum, coctione, evaporatione & exsiccatione paratum, nobisque male sub nomine succi aut terræ Catechu adlatum in massis siccis,

inæqualibus, solidis, fragilibus, extus ex rubro nigris, intus fuscis vel rufis, linguæ minime adhærentibus, saporis adstringentis, primo subdulcis, postea amaricantis. Chemice exploratum constat ex tribus fere partibus principii adstringentis, & una parte mucilaginis, fibrillisque ligneis sub præparatione intermixtis. In spiritu vini, vino, & maximam partem in aqua calida solubile est, quæ posterior solutio post refrigerationem in coagulum mucilaginosum abit. Adulteratur cum argillacea terra quadam punicea, tuncque nec in alcohole vini, nec in aceto solubile, diffractum splendet, & in igne indurescit.

Præparatum. *Tinctura Catechu* ex una parte succi hujus in quatuor partibus alcoholis digesta & soluta.

Vires adstringentes. Interne in profluviis a laxitate, externe in ulceribus scorbuticis, gangrænosis; in putredine oris, dentium vaccilatione & gingivarum cruentatione. Alumen & tormentilla nostra vix non præferri merentur.

Dosis interna a granis decem ad drachmam semis in pulvere, pillulis aut electuariis. Tinctura ad semidrachmam & ultra, cum melle rosarum in laxitate oris scorbutica.

Monogr. E. Hagendornii tract. de terra Catechu. Jen. 1679.

Andr. Jac. Kirsten de Arecca Jndorum, A\ 1739.

Car. H. Wertmüller de Catechu. Gott. 1779.

Centaurium minus *Offic.*

Tausendguldenkraut.

Gentiana Centaurium Botan. Chironia Centaurium Willden, foliis ellipticis trinerviis, caule dichotomo corymboso, calycinis laciniis subulatis subpatulis, corollæ limbo plano.

Planta annua in totius fere Europæ pratis, & ad fluviorum ripas crebra.

Pars usualis. *Summitates floridæ*, & ipsa herba, quæ vix non majores vires possidet, foliis sessilibus ellipticis trinerviis, læte viridibus admodum amaris.

Præparatum. *Extractum Centaurii* minoris, ex decocto herbæ exsiccatæ inspissato.

Vires roborantes, stomachicæ, resolventes; in febribus intermittentibus, laxitate primarum viarum, in viscerum obstructionibus, cachexia, debilitate post morbos perpessos egregiæ. In majori dosi more aliorum amaricantium purgantes, quemadmodum Dioscorides & Gallenus jam adnotarunt.

Dosis. Pulvis a granis decem ad drachmam semis, sed raro præscribitur. Sæpius herbæ uncia semis pro infuso aquoso aut vinoso; decoctione amarities imminuitur. Extractum a granis decem usque ad unam vel ad duas drachmas in die, forma mixturæ aut pillularum.

Monogr. Lededelii tract. de Centaurio minore, auro tamen majore.

G. W. Wedel de Centaurio minori. Jen. 1713.
Schrammius detto.
J. H. Slevogtii Commendatio Centaur. min. per exempla. Jen. 1713.

Cera alba et citrina.

Weiſses und gelbes Wachs.

Substantia pinguis, oleosa, condensat, separato melle ex favis apum colliquatis expressa, saporis lenti, oleosi, odoris grati, balsamici, coloris flavescentis (nisi a junioribus apibus proveniat), cera flava vocatur. Eadem aliquoties liquata, lota, radiis solis exposita, singularem priorem odorem plurimum deperdit, magis solidescit, dealbatur, & cera alba adpellatur. Utraque leni igne facile liquescit, frigore facile densatur, igne inflammatur & camphoræ fere volatilitatem habet, in aqua & alcohole insolubilis, oleis tum unguinosis tum æthereis, & salibus alcalinis causticis miscibilis. Defraudatur sebo lucri causi, quod majori mollitie, maloque odore cognoscitur.

Præparata. *Oleum Ceræ* ex iterata destillatione cum anatica calcis vivæ parte obtentum, facile rancescens, propterea vitro optime clauso & loco frigido adservandum. Sit fluidum, tenue, limpidum, flavescens, odoris penetrantis empyreumatici, saporis amari & urentis, in alcohole vini solubile. Ceratum simplex pro cereolis ex una parte spermatis cete, tribus ceræ albæ & sex olei cocti colliquefactis. Huic massæ

leniter liquefactæ panniculi lintei subtilissimi & molissimi immerguntur, & simulac sufficienter refrigerati fuerint, in segmenta pyramidalia dissecantur, digitisque primo mundissimis, & deinde super marmor lævigatum ope laminæ metallicæ politæ in cylindros convolvuntur lævissimos & perfecte complanatos.

Usus. Interne nec cera, nec oleum ceræ adhibentur, quod optime butyro cacao, non facile rancescente subpletur. Externe cera ob vires relaxantes, emollientes, balsamicas, ad cereolas cerata, emplastra & unguenta frequentissimum in usum vocatur. Oleum, dum recens, ad fissuras labiorum & papillarum. Cereoli usui chirurgico externo destinantur, modoque fere mechanico agunt, nisi alio adhuc medicamine imprægnentur.

Cerasa nigra *Offic.*

Schwarze Kirschen.

Prunus Cerasus & Prunus avium Botan. abunde notæ, sub diversis varietatibus tum sponte in sylvis nostris provenientes, tum arte cultæ.

Pars usualis. *Fructus*, drupa oblonga, nigra, carnosa, grato dulcis, succo ex rubro nigro cum nucleo globoso, compresso instructa, qui corticibus abjectis, sapore & odore ad folia laurocerosi accedit.

Præparatum. *Aqua Cerasorum* destillata exsiccatorum & cum nucleis contusorum, grata atque reficiens, non magnarum virium, nisi re-

frigerantium. Mixturis aut emulsis ad gratiam additur.

Fructus ipse ad Diætetica.

Cerefolium *Offic.*

Kerbelkraut.

Scandix Cerefolium Botan. Scandix seminibus nitidis ovato-subulatis, umbellis sessilibus lateralibus Lin. Planta annua, in Europa meridionali sponte, apud nos in hortis crescens.

Pars usualis. *Herba* recens, primo vere colligenda, foliis triplicato pinnatis, tenerrimis, glabris, obtuse lobatis, languide viridibus, odoris peculiaris fragrantis fœniculacei, saporis grate subdulcis, aromatici.

Præparatum. *Aqua Cerefolii* destillata.

Ingreditur aquam vulnerariam cum aceto.

Vires interne stimulantes, diureticæ; in hydrope, ictero, cachexia, glandularum morbis & phthisi a nonnullis laudatæ. Externe resolventes, discutientes.

Dosis. Succus expressus herbæ recentis ad Uncias duas vel tres, per se, aut cum sero lactis, aut cum aqua soteria. Aqua destillata ad plures Uncias.

Monogr. Ch. Helwigii Diss. de Chærophyllo. Gryph. 1711.

Cerusa vide Plumbum.

Cervi cornu et sebum.

Hirschhorn und Inschlitt.

Cervus Elaphus Lin. Animal ex classe mammalium & genere pecorum, ruminans, cornubus distinctum ramosis, quotannis mense Aprili deciduis.

Partes usuales. *Cornu Cervi* rasum. Sebum cervinum.

Præparata. *Spiritus Cornu Cervi*, ex cornubus etiam aliis quibuscunque, ossibus & ungulis destillatione obtinetur, separatoque sale & oleo emyreumatico rectificatur & depuratur, limpidus, flavescens, more salis alcali volatilis nares valdopere feriens, & in atmosphæram summe diffusibilis; quare vitro epistomio vitreo & vesica bubula optime clauso adservandus. Carbo residuus Cornu Cervi ustum vocatur. Sal vero volatilis alcalinus nova sublimatione depuratus, ut albus evadat, sub nomine salis Cornu Cervi adservatur. Imo in nonnullis pharmacopoliis oleum crassum empyreumaticum seorsim colligitur, & recterate destillatur, donec fluidius & limpidius evadat, exoriturque sic oleum animale ad modum Dippelii. Substantia, dum bene parata, post naphtham volatilissima, & proxime ad olea ætherea accedens. Liquor Cornu Cervi succinatus (succinas ammoniæ), est spiritus Cornu Cervi sale succini saturatus; atque in capite de succino memorabitur.

Vires & dosis.

Cornu Cervi rasum vires possidet nutrientes, gelatinosas. Quare exhaustis a morbo, & chronicis ægris cum virium defectu inservit. Unciæ duæ in quatuor libris aquæ ad remanentiam libræ unius coquuntur & colantur, gratiæ causa ad libitum cum acido vegetabili condiuntur. Addito gummi arabico, decoctum album Sydenhami paratur.

Sal & spiritus cornu cervi, nec non oleum animale viribus alcali volatilis gaudent. Hæ vires externe sunt excitantes, dum naribus adtrahuntur, aut linguæ guttatim instillantur, in animi deliquio, asphyxia, apoplexia, paraplegia &c. dum vero cuti illiniuntur; irritantes, rubefacientes exstimulantes, antiparalyticæ, antispasticæ, resolventes, tumoribus arthriticis & scrophulosis proficuæ sæpe deprehensæ. Interne valdopere stimulantes, diaphoreticæ, nervinæ, antispasticæ, incidentes, penetrantissimæ, hinc in diversis morbis nervorum e vera debilitate exoriundis, in hysteriasi, in languore & convulsionibus variolantium in omni fere neurosi ex veneno animali, specialius in morbis spasmodicis pectoris summopere proficuæ. Dosis multum varia, pro casus varietate, a guttis, tribus, quinque, decem, usque ad viginti & ultra in die, forma optime liquida, in mixturis aut decoctis bene refrigeratis, cavendo ab omni alio ingrediente, quod naturam alcalinam immutare valeret. Plura huc spectantia adnotabuntur in capite de sale ammoniaco.

Sebum cervinum emollientes, relaxantes, obvolventes vires exserit, ad perniones & ex ca-

riationes vulgo adhibetur. Ideo emplastra & unguenta nonnulla ingreditur; pinguedine vero quavis recenti facile subpletur.

Monogr. Gu. Rollfinkii Elaphologia. Jen. 1639.
J. A. Grabæ Elaphographia.
J. G. Agricola de cervi -- in medicina vario usu.
W. H. Waldschmied de sal. volat. Corn. Cerv. Kil. 1697.
G. E. Stahl de Corn. Cerv Hal. 1699.
Wessem de C. C. Duisb. 1704.
J Vesti de C. C. Erf. 1704.
L. Harmes de C. C. ejusd. usu & abusu. Reg. 1730.
Fr. de Ziegler de liqu. C. C. succinato. Rint. 1753.
G. W. Wedel de salę volatili oleoso. Jen. 1711.

Ceti Sperma *Offic.*

Wallrath, Spermacet.

Physeter macrocephalus Lin. ex classe animalium mammalium lacustrium, & genere balænarum sive cetorum, Oceani septentrionalis incola.

Pars usualis. Substantia sebacea, pinguis, candida, tenera, Squammosa, odoris unguinosi, & saporis oleosi, igne facile liquescens, cum oleis intime miscibilis, in canalibus & cavis peculiaribus cerebri magna quantitate residens, inepte Sperma Ceti dicta. Candidissimum, pingue, recens, nec flavum, nec rancidum, optimum est.

Præparatum. *Emplastrum de Spermate Ceti* ex cera alba, sebo cervino & axungia porci cum spermate ceti, liquefactione para-

tum. Nonnisi ab obstretricibus ad mammas induratas puerperarum expetitur, & a vetulis ad thoracem tussientium.

Ingreditur etiam ceratum simplex pro cereolis.

Vires emollientes, relaxantes. Internus nullus usus.

Monogr. Val. Cordi de halosantho S. Sperm. Ceti. Tig. 1565.
M. Ettmüller cerebrum Orcæ. Lips. 1678.
J. Vesti de Hercule medico. Erf. 1701.
J. S. Henninger de spermate ceti. Arg. 1711.
Gu. de Magny an sperma ceti remed. in pleurit. Par. 1744.

Chamædris *Offic.*

Gamander.

Teucrium Chamædris Botan. Chamædris foliis cuneiformi ovatis, incisis, crenatis, petiolatis, floribus ternis, caulibus procumbentibus subpilosis Lin. Cranz. Planta perennis in montosis totius fere Europæ locis crescens, nonnunquam in hortis culta.

Pars usualis. *Herba* sicca, toto fere æstivo tempore colligenda, coloris profundius viridis, odoris subaromatici siccatione pereuntis, saporis amari sub adstringentis.

Vires lenissime stimulantes, roborantes. Melioribus substituendis, usum non meretur, quem in

cachexia, chlorosi, in febribus intermittentibus in arthritide, atque externe in ulceribus abstergendis & tumoribus resolvendis practici nonnulli commendant.

Dosis Uncia semis vel una in infuso aquoso, vinoso.

Chamomilla romana *Offic.*

Römische Kamille.

Anthemis nobis Botan. Anthemis foliis pinnato compositis linearibus acutis subvillosis Lin. Planta perennis in agris & pratis Europæ australis spontanea, etiam in hortis pleno flore culta.

Pars usualis. *Flores*, siccati. Constant corolla composita radiata, cum calyce communi corollæ æquali; flores radii albi, ligulati, ter dentati, & flores disci flavi tubulosi, floribus Matricariæ Chamomillæ admodum similes, sed disco minus conico, potius plano, ac receptaculo paleaceo distinguendi. Odor fortior & fragrantior, sapor amarior. Destillatione paullo plus olei essentialis largiuntur.

Ingrediuntur aquam carminativam, spiritum balsamicum.

Vires & dosis uti sequentis.

Chamomilla vulgaris *Offic.*

Gemeine Kamille.

Matricaria Chamomilla Botan. Matricaria receptaculis conicis radiis patentibus, squamis calycinis margine æqualibus Lin. Planta annua, in agris, arenosis, ruderatis indigena.

Pars usualis. *Flores* sicci; constant corolla composita radiata cum calyce; flores radii albi, patentes sunt; flores disci flavi, tubulosi, in conum complicati, receptaculo nudo. Odor valde fragrans, sapor amarus, aromaticus. Non confundantur cum floribus Chrysanthemi Leucanthi inodoris, Anthemidos arvensis odore debiliori, Anthemidos Cotulæ odore nauseoso, aut Matricariæ suaveolentis, cujus radii reflexi sunt.

Præparata. *Aqua florum Chamomillæ* destillata. Oleum florum Chamomillæ destillatum, saphyrini coloris, in aëre vero libero sensim brunescentis. Syrupus florum Chamomillæ ex infuso, cum duplo sacchari.

Vires leniter stimulantes, roborantes, antispasticæ, carminativæ, anthelminticæ; in flatulentia jam a Dioscoride, in hypochondriasi, hysteriasi, febribus intermittentibus, & viscerum obstructionibus laudatæ. Externe roborantes, resolventes, discutientes. Forma clismatis in spasmis intestinorum absque inflammatoria nota.

Dosis. In pulvere drachma semis pluries in die. In infuso aut enemate Uncia semis vel integra pro libra aquæ. Ad sacculos discutientes Uncia una & plures.

Monogr. J. Dan. Scheffer de Chamomilla. Arg. 1700.

J. H. Schulze de Chamæmelo. Hal. 1739.

E. G. Baldinger vires Chamomillæ. Gott. 1775. r. Carl.

G. G. Groote virtus Chamæmeli antipyretica. Frf. 1783.

Chelidonium majus *Offic.*

Grofses Schöllkraut.

Chelidonium majus Botan. Chelidonium pedunculis umbellatis Lin. Planta perennis in locis ruderatis apud nos copiosissima.

Pars usualis. *Herba* recens, foliis quercuum similibus, alternatim pinnatis cum impari, inæqualiter crenatis, folio terminali majori, tenuibus & mollibus, ex flavo dilute viridibus, succo croceo acri scatentibus, odoris ingrati gravis, saporis amari & acris.

Præparatum. *Extractum Chelidonii* ex succo paratum.

Ingreditur emplastrum diabotanon.

Vires roborantes cum irritamento, resolventes, in obstructionibus viscerum, in ictero & hydrope laudatæ. Externe succus ad verrucas & her-

petes. Radix externe in cancro. Vide Celeb. Mayr Dispens.

Dosis extracti a granis tribus incipiendo & adscendendo ad plura sæpius in die. Forma pillularis aut mixturæ.

Monogr. Creuzbacher de rad. Chelid. major. Arg. 1785.

J. A. Glumm Diss. de Chelid. maj. Duisb. 1786.

Th. A. de Schallern Diss. qua Chelid. maj. virtus med. novis observ. firmatur. Erl. 1790.

Chenopodium ambrosioides *Offic.*

Mexicanisches Traubenkraut.

Chenopodium ambrosioides Botan. Chenopodium foliis lanceolatis dentatis, racemis foliatis simplicibus Lin. Planta annua in Mexico & Lusitania sponte crescens, jam & apud nos in hortis culta.

Pars usualis. *Herba* sicca, ante florescentiam colligenda, odoris penetrantis, summe volatilis, specifici, camphoracei fere, saporis grati, aromatici, sub amari, calidi.

Vires, illis herbæ Chenopodii Botryos quondam usualis analogæ, ast fortiores; stimulantes, incidentes, antispasmodicæ, specialius in paralysi a nuperis commendatæ; in morbis pectoris pituitosis non inutiles.

Dosis in infuso Uncia semis vel & integra pro colatura libræ unius.

China nodosa *Offic*

Chinawurzel.

Smilax China Botan. Smilax caule aculeato teretiusculo, foliis inermibus ovato cordatis quinquenerviis Lin. Planta frutescens orientalis, in China, Japonia, Persia, Malabaria, Cuncan etc. spontanea.

Pars usualis. *Radix*, tuberosa, lignosa, solida, ponderosa, cuticula fusca vestita, intus albo rubella, nullius odoris, saporis farinacei, subdulcis. Circa annum 1535 nostro orbi innotuit, & ab imperatore Carolo quinto contra arthritidem adhibita fuit. Smilax Pseudochina Lin. Frutex occidentalis, novæ Hispaniæ, Virginiæ, Jamaicæ incola, similem fere radicem largitur, sed minus ponderosam & magis spongiosam, sæpissime cariosam, foraminibus fraudulenter bolo rubra, aut & lithargyro, ut ajunt, expletis.

Vires tonicæ exiguæ. In lue venerea, in podagra, in acrimoniis imaginariis corrigendis, purificantem auctoritatem radix hæc sibi quondam nacta fuit. Sed jam Vesalius & post illum Juchius laudes hasce limitare voluerunt, atque hodie vix in usum trahitur.

Dosis Uncia una pro libra decocti.

Monogr. Chr. G. Schwalbe de China offic. L. B. 1715.

H. P. Juchius de rad. Chinæ ejusque limitandis laudibus. Erf. 1753.

Cichoreum *Offic.*

Wegwart.

Cichorium Intybus Botan. Cichorium floribus geminis sessilibus, foliis runcinatis Lin. Planta biennis ubivis in apricis, ad vias agrorumque, culta. Toti plantæ inest succus lacteus subamarus, isque amarior in fera, quam in culta.

Partes usuales. *Herba* recens et sicca, submucilaginosa, grate amara. Radix, tempore verno colligenda, coffea pauperum, digitum crassa, subramosa, fibrosa, extus subfusca, intus alba, saporis subdulcis, subamari, infera planta amarioris, quam in culta. Rejiciatur lignosa.

Præparata. *Extractum Cichorei* ex herba sicca coctione & inspissatione parandum. Syrupus Cichorei cum rheo, ex herba & radice, cum rheo & pauxillo alcali vegetabilis coctis, & cum anatica sacchari parte inspissatis.

Ingreditur extractum tincturam visceralem.

Vires roborantes, resolventes, nutrientes; in obstructione viscerum atque eorum atonia, in cachexia, hydrope initiente, in febribus intermittentibus summe proficuæ.

Dosis. Succus herbæ recentis ad uncias duas vel tres. Radicis uncia una, aut & duæ pro libra decocti. Extracti drachma una & plures in die, forma pillulari, electuarii, mixturæ. Syru-

pus cochleatim exhibitus, infantes leniter purgat & roborat.

Monogr. R. J. Camerarius de Cichorio. Tub.

Cicuta vulgaris *Offic.*

Schierling.

Conium maculatum Botan: Conium seminibus striatis Lin: Planta bienis umbellata, in locis umbrosis nostris & ruderatis indigena. Non confundatur cum Cicuta virosa, cum Aethusa Cynapio, cum Chaerophyllo bulboso aut Sylvestri Lin.

Pars usualis. *Herba* recens & sicca, mense Junio ante florum expansionem ex locis siccioribus colligenda & clausis vasis servanda. Folia sunt petiolata, tripinnata aut quadripinnata cum impari, pinnis obpositis, foliolis lanceolatis, pinnati fidis, venosis, nudis, nitidis, supra saturate; infra pallide viridia, trita odoris peculiaris virosi, lotio felium sive — cantharidibus similis, saporis subdulcis, subacris. Caulis subrotundus, cavus, lævis, læte viridis, maculis & punctis purpureis dense adspersus, petioli pari modo leviter maculati.

Praeparata. *Conserva Cicutae* ex herba recenti cum triplo sacchari. Emplastrum de Cicuta ex extracto herbae cum pulvere, terebinthina, oleo & cera.

Extractum Cicutae ex succo herbae recentis inspissato, coloris fusco viridescentis & odoris ingrati, quasi a lotio murium, saporis herbacei, subsalsi, leviter nauseosi.

Ingreditur emplastrum diabotanon.

Vires in majori dosi venenatæ, emetice, narcoticae; dolores nonnunquam glandularum & ipsum ptyalismum causantes; in moderata dosi potentissime resolventes, incidentes, penetrantes, specialius in tumoribus induratis, scrophulis, scirrhis, ulceribus inveteratis, spina ventosa, fluore albo, scorbuto, rheumatismo chronico & morbi venerei reliquiis laudandae, etiam in convulsiva tussi & aliis nevrosibus cum fructu tentatae. Externe resolventes, discutientes, ulcera depurantes.

Dosis. Extractum a granis duobos in die, adscendendo paulatim ad viginti & ultra; optime forma pillulari cum pulvere herbae. Externe ad plures scrupulos, per se, vel forma emplastri ad glandularum indurationes. Herbæ uncia semis pro libra infusi ad usum externum, fomentationis forma, scopo resolvente. Etiam emplastrum potenter resolvit.

Monogr. Ch. Helvigh de Cicuta. Gryph. 1708.
Ant. et B. a Störk libelli III. de Cicuta. Vien. 1760 1761.
J. L. B. a Quarin tentamen de Cicuta. Vien. 1761.
Ferd. Leber Abhandl. vom Schierling. Wien. 1762.
Chr. L. Hoffmann vom Schierling. Münster. 1762.
Ant. de Haen Epistula de Cicuta. Vien. 1765.
S. J. Salomon de Cicutæ agendi modo. Hal. 1763.
L. G. le Monnier ergo Cancer ulceratus Cicutam eludit? Par. 1763. r. C. Andry.
P. J. Ehrhart de Cicuta. Arg. 1763.
P. J. Hartmann observ. ad. Cicutæ. &c. usum. internum. Helmst. 1763.
J. G. Reismann de Cicuta, & an sit remed. cancri? Duisb. 1763.

J. H. Lange dubia Cicutæ vexata. Helmst. 1764.
J. J. Huber de Cicuta. Cafs. 1764.
J. Viventi de Cicuta comm. Neap. 1767.
C. F. Kaltschmidt de Cicuta. Jen. 1768.
P. J. Hartmann insignis Cicutæ Stoerkianæ efficacia singul. obs. comprobata. Frf. 1772.
J. Spalowski Difs. de Cicuta. &c. Vind. 1777.
J. C. Gruelmann obs. de usu Cicutæ. & Gott. 1782.
M. Schindler obs. circa usum Conii maculat & in scorbuto, aliisq. morbis Ulm. 1791.

Cina, Contra, Santonicum *Offic.*
Wurmsamen, Zittwersamen.

Artemisia judaica Botan: Artemisia fruticosa, foliis obovatis lobatis parvis, floribus paniculatis pedicellatis Lin. Planta perennis in Judæa, Arabia & Numidia spontanea. An non autem Artemisia Santonicum, in Persia & Tartaria habitans? An utraque?

Pars usualis. *Semina* parva, oblonga, coloris ex gilvo viridescentis, odoris peculiaris, fortis saporis amari subacris, resinosi, multis cauliculis, florum & foliorum partibus intermixta. Optima ex Aleppo veniunt. Oleum essentiale continent, a quo lurima eorum vis pendet.

Vires stimulantes, anthelminticæ. Cum vitriolo martis aut cum mercurio dulci mixta; semina hæc frequenter ad necandos vermes a Mathioli temporibus exhibentur.

Dosis a granis decem ad semidrachmam in pulvere; aut cum melle electuarii forma. Etiam majori dosi in decocto ad mentem Hufelandi.

Monogr. J. Fr. Cartheuser de ligno nephrit. & semine santonico. Frf. 1749.

Cinnamomum *Offic.*

Zimmet.

Laurus Cinnamomum Botan. Laurus foliis trinerviis ovato oblongis, nervis versus apicem evanescentibus Lin. Arbor in solo arenoso variarum Indiæ orientalis regionum, Negumbo, Columbo &c. elegantissima vero & sume aromatica in Zeylonia sponte proveniens. Etiam in variis Americæ locis deprehenditur, ut in Brasilia, Martinica, Guiana Gallica &c.

Pars usualis. *Cortex*, præcipue ramorum, ab exteriori grisea cuticula liberatus, in canulas longas convolutus, tenuis, lignosus, levis, subtenax, coloris ex rubicundo flavi, subinde in brunum inclinantis, saporis aromatici, subacris, subdulcis cum levi adstrictione, odoris proprii, gratissime fragrantis. Aroma celebratissimum. Rejiciatur autem crassus, bruneus, subamarus, viscosus, oleo essentiali (in quo tota virtus) jam privatus.

Præparata. *Aqua Cinnamomi communis* sive *simplex*, destillata ex simplici aquosa infusione hujus corticis. Aqua Cinnamomi vinosa seu spirituosa cum $\frac{1}{6}$ spiritus vini rectificatissimi aquæ cinnamomo adfusæ mixta, destilata. Oleum Cinnamomi destillatum, coloris (nisi recentissimum) aurei, in aqua fundum petens, saporis urentis cum dulcedine mixti. Raro sincerum nisi domi paratum. Ex duabus libris corticis ultra drachmam unam obtinetur. Syrupus Cinnamomi cum cortice aquæ vinosæ superinfuso & duplo

sacchari paratus. Tinctura Cinnamomi ex una parte corticis in sex partibus Alcoholis digesta, fusco nigricans, odoris cinnamomi, saporis aromatici dulcis & subadstringentis. Aquam utramque subplet.

Ingreditur præterea acetum antisepticum, balsamum embryonis, theriacam, Spiritum aromaticum, balsamicum & melissæ compositum, salem volatilem oleosum, tincturam absinthii compositam & aromaticam acidam.

Vires fortiter stimulantes, systema nervosum excitantes, analepticæ, stomachicæ. Magnus hujus remedii usus in omni vera debilitate, in febribus nervosis, in hæmorrhagiis omnibusque aliis morbis e laxitate. Ad gratiam quoque exaltandam, aut ad stimulum illorum acuendum, aliis medicaminibus additur. Oleum externe in carie.

Dosis. *Cortex* ad drachmam unam vel duas in infuso aquoso, vinoso.

Pulvis a granis quinque ad decem. Etiam in electuario. Aqua simplex ad uncias duas, vinosa ad unciam unam in mixturis & decoctis, scopo analeptico, excitante. Oleum ad guttam unam vel duas pro elæosaccharo. Syrupus ad semiunciam vel integram. Tinctura a scrupulo uno ad duos in mixturis, ad drachmas duas & plures de die cum aqua destillata in profluviis, hæmorrhagiis præcipue uterinis, partitis sæpiusque repetitis dosibus. Universim doses debilitatis gradui atque ægri irritabilitati &c. adcommodandæ erunt.

Monogr. Herm. Grimmii laboratorium Zeylonicum.

Jo. Th. Schenkius de Cinnamomo. Jen. 1670.
G. W. Wedel de Cinnamomo. Jen. 1707.
Ch. L. Goeller de Cinnamomo. Traj. 1709.
P. F. Gmelin de analepticis quibusd. e Cinnamom. &c. Tub. 1763.
Dexbach Diss. de Cinnam.

Citrus, Limonia *Offic.*

Citrone.

Citrus medica Botan. Citrus petiolis linearibus Lin. Arbor sempervirens in Media & Persia, atque in Europa australi vix non spontanea, apud nos in hybernaculis culta.

Pars usualis. *Fructus* ovalis, apice in papillam desinente, basi obtusiori cum adhærentibus calyculi reliquiis, extus cortice flavo, folliculis oleiferis divite, aromatico, subamaro, intus spongioso albo vestiti, interne pulpa membranosa novemloculari, seminibus ovato acutis callosis & succo acido instructi. Eligantur fructus majores & ponderosiores, nec obsoleti, nec situ corrupti.

Cortex exterior flavus, ab interno fungoso albo liberatus, tum recens, tum siccus officinas intrat, nomine flavedinis corticum Citri; odoris grati, fragrantis, saporis aromatici, subamari, calidi. Succus in ipsis officinis exprimatur, & per chartam bibulam filtratus in vasis probe repletis & clausis frigido loco adservetur; vendibilis enim raro sincerus; aceto aliisve acidis adulteratus. Color est seri lactis, sapor grate acidus, odor peculiaris.

Præparata. *Aqua corticum Citri* recentium destillata, quondam totius citri. Elæosaccharum corticum Citri, adterendo saccharum ad poma paratum. Oleum corticum Citri recentium destillatum. Syrupus acetositatis Citri pro Limonada extemporanea, & Syrupus corticum Citri recentium. Tinctura corticum Citri siccatorum cum sexduplo spiritus vini rectificati digestorum.

Ingreditur præterea cortex aquam carminativam, spiritum melissæ compositum & tincturam aromaticam acidam.

Vires succi sunt refrigerantes, siti contrariæ leniter purgantes, interne & externe antiscorbuticæ, antiputredinosæ; corticum stimulantes, roborantes, stomachicæ, carminativæ. Etiam pro gratis medicaminum.

Dosis. *Succus* ab uncia una ad duas, cum aquæ, decocti cerealis, seri lactis &c. libra una, pro potu. Externe ad ulcera scorbutica deliganda. Cortex in pulvere a granis decem ad viginti & ultra; drachma una vel duæ in infuso aquoso, vinoso. Aqua destillata ad uncias duas vel tres. Olei corticum guttæ tres pro elæosaccharo. syrupi quantum satis ad gratiam. Tincturæ drachma una vel duæ in mixturis, decoctis.

Monogr. Joh. Lanzonii Citrologia.
Herm. Grube analysis mali citrei.
Ge. Francus de malo citreo. Heidelb. 1686.
Fr. Hoffmann de præstantia mal. citr. in medic. Hal. 1715.
Natus, Volcamerus, Pont. Monardus, Dalu. Nebelius de mal. citr.

Coccinella *Offic.*

Cochenille.

Coccus Cacti Lin. Insectum testudineum pediculi magnitudinis, alatum (femellæ autem nullas alas habent), externe coloris nigri, interne purpurei, qui ab acidis exaltatur, ab alcalinis profundior redditur, saporis amarescentis & adstringentis. Detecto novo orbe detectum fuit, nam locus natalis est regnum Mexicanum & nova Hispania. Degit & nutritur foliis Opuntiæ, seu Cacti coccenilifer, qui ab Indiæ incolis studiose colitur. Colliguntur copiosissime hæc insecta ad lintea substrata, atque vel fumo necantur, vel aquæ bullienti immerguntur; vel supra laminam ferream calidam, aut radiis solis urentibus exposita exsiccantur (atque tunc externe albescunt) alis denique pedibusque remotis in grana confricantur & adservantur. Scopo tinctorio technico magis inserviunt, quam medico. Dantur etiam germanica & polonica, supra scleranthum perennem præcipue degentia, ast longe viliora prioribus.

Vires quidem adstringentes, sed maximus usus ad infucanda medicamenta, ad rubrum scilicet gratum colorem variis medicaminibus conciliandum. Quondam vires cardiacas, sudoriferas, antifebriles huic insecto adscripserunt.

Præparatum. *Syrupus Kermesinus*, ex coccinellis cum pauxillo alcali vegetabilis in aqua rosarum, corticum citri & cinnamomi maceratis, colatione cum dupla quantitate sacchari in

syrupum inspissata & alumine in colore exaltata. Gratiæ saporis & coloris causa usitatus.

Monogr. Melch. de Ruusscher histor. natural. Coccion.

Ch. Fr. Richter de Cochinilla. Lips. 1701.

J. H. Schulze granor. Kerm. & Coccionellæ convenientia & usus. Hal. 1743.

Marsigli observ. natur. de granis Kerm. & Coccion.

H. Fr. Delius purpuræ e Coccionella in medendo dignitas. Erl. 1753.

C. J. Lange. de Cochinilla.

J. Emil. Link de Coccionellæ rat. virib. & usu. Lips. 1787.

Cochlearia *Offic.*

Löffelkraut.

Cochlearia officinalis Botan. Cochlearia foliis radicalibus cordato subrotundis, caulinis oblongis subsinuatis Lin. Planta biennis ad littora maris. Europæ septentrionalis in Anglia, Norwegia &c. spontanea, apud nos in hortis pharmaceuticis culta. Ne confundatur cum ranunculo ficaria.

Pars usualis. *Herba* recens, caule ramoso, foliis radicalibus petiolatis cordatis, obtusis, integris, foliis caulinis amplexicaulibus, nitide viridibus, succosis, saporis acris, amari, salini; odoris, si teritur peculiaris, balsamici acris. Exiguam quantitatem olei essentialis possidet, albi, penetrantis & adeo subtilis, ut uncia gutta spiritu vini soluta vel saccharo excepta, sexdecim unciis liqui-

di alicujus, odorem & saporem Cochleariæ communicet. Siccata herba facile spiritum hunc rectorem, quem inepte olim pro sale alcalino volatili habuerunt, deperdit.

Præparata. *Aqua Cochleriæ* ex recenti herba abstracta; syrupum violarum non mutat. Conserva Cochleariæ ex herba recenti cum triplo sacchari parata. Spiritus Cochleariæ ex parte una herbæ recentis in tribus spiritus vini rectificati digesta, medietate abstracta.

Ingreditur electuarium antifebrile.

Vires stimulantes, roborantes, specialius antiscorbuticæ. In viscerum obstructione, cachexia, hydrope, asthmate seroso, aliisque absorbentium vasorum morbis utiles esse possunt.

Dosis. *Succus* expressus ad unciam unam vel duas, per se, aut cum sero lactis, aut cum aliis succis. Aqua ad uncias duas vel tres. Conserva ad drachmas duas, semiunciam & ultra. Spiritus ad gargarismata & collutoria in ulceribus gingivarum ad drachmas aliquot cum melle.

Monogr. Val. And. Moellenbroccii Cochleria curiosa. Lips. 1674.

Colchicum *Offic.*

Zeitlose.

Colchicum autumnale Botan. Colchicum foliis planis lanceolatis erectis Lin. Planta perennis in pratis & sylvis humidis vulgaris.

Pars usualis. *Radix* ineunte æstate colligenda; bulbus carnosus, succulentus, pollicem crassus, interne albus, externe pluribus cuticulis flavo bruneis vestitus, saporis farinacei, amari, acris, linguam stupefacientis, odoris subnauseosi.

Præparata. Acetum Colchici ex radice recenti in sexduplo aceti macerata. Oximel Colchici ex parte una hujus aceti cum duplo mellis in spissitudinem debitam cocta. Simili modo Oxisaccharum Colchici sive Syrupus aceti Colchici, cum saccharo loco mellis paratur.

Vires a *Dioscoride* venenatæ adsignatæ, serius & præcipue experimentis ab Inl. Præside nostro ævo institutis in usum medicum merito vocatæ, utpote squillæ analogæ, potenter & cum irritamento resolventes, subemeticæ, diureticæ in hydrope morbisque frigidis, pituitosis eximiæ.

Dosis. *Radix* ad unciam semis & ultra in infuso vinoso. Acetum ad drachmas duas & plures in die. Oximel & oxisaccharum ad unciam semis & unam; cochleatim pro infantibus.

Monogr. G. W. Wedelii experiment. curios. de Colchico veneno & alexipharm. Jen. 1718.

C. L. Wilhelmi Colchic. als ein Mittel wider die Pest. Leipz. 1721.

Ant. L. B. a Stoerk libellus de Colchico. Vien. 1763.

Car. Kratochwill de radice Colchici auctumn. Frf. 1764.

J. Chr. Ehrmann de Colchico auctumn. Basil. 1772.

Colocynthis *Offic.*

Koloquinte.

Cucumis Colocynthis Botan. Cucumis foliis multifidis, pomis globosis glabris Lin. Planta annua in Syria & Alepo habitans.

Pars usualis. *Fructus*, referens pomum magnitudinis mali aurantii, cortice externo viridi abjecto, exsiccatus; relicto tegmine albido coriaceo includens pulpam fungosam, levem, albicantem mucilaginosam, saporis intense amari, acris & nauseosi, sexlocularem cum seminibus plurimis oblongis, planis, duris, ruffis, officinas non amplius intrantibus. Poma albida, integra, sicca, levia, optima.

Præparatum. *Pulvis Colocynthidis gummosus* vulgo *Alhandal*, e pulpa colocynthidis cum gummi arabico in pastam redacta, exsiccata & pulverata. Aliter enim ob copiosam mucilaginem in pulverem redigi non posset.

Ingreditur extractum catholicum, pilulas purgantes drasticas & mercuriales.

Vires venenatæ, drasticæ, purgantes cum torminibus; in hydrope, apoplexia frigida & lethargo a multis quidem laudatæ, nobis autem, uti omnium drasticorum vires, multum suspectæ, caute aut nunquam in usum trahendæ, & nonnisi in summa intestinorum inertia. Mors in olla, poma diaboli judice Solenandro. Omni ævo cognita vehementia, qua alvum movet, torminibus pessimis & dejectionibus sæpe cruentis stipata.

Dosis. Pulvis Colocynthidis gummosus ab $\frac{1}{4}$ grani ad duo grana.

Monogr. M. A. Hellot an demorsis a cane rabido Colocynthis? Lut. 1676.
J.H. Schulze de Colocynthide. Hal. 1734.
Hier. Valerius de eod. argum.
J. Cl. Tode drasticorum in genere, atq. colocynthidis vindiciæ. Hafn. 1790.

Columbæ radix *Offic.*

Columbawurzel.

Plantæ incognitæ radix, in taleolis inæqualiter orbicularibus, plerumque perforatis; interdum etiam juxta longitudinem secta nobis e Zeilonia advehitur, sæpe cariosa. Constat tripliti substantia; corticali externa, rugosa, ferruginea; interiori lignosa, compacta, intima medullari, farinacea, coloris flavescentis. Sapor ingrate amarus, odor peculiaris, balsamicus, cumino fere analogus, mora decrescens. In pulverem redacta viridescentem colorem induit, & humiditatem adtrahit. Per Fr. Redi 1685. innotuit.

Vires roborantes; specialius in diarrhæa, dysenteria, cholera morbo, in ventriculi laxitate & cardialgia cum vomitu laudatæ, ulterioribus experimentis confirmandæ. Viribus nostratium amaricantium, ut videtur, vix superiores.

Dosis. In pulvere grana viginti aut triginta aliquoties in die. Uncia semis in decocto, aut po-

tius in infuso vinoso; nam infusione aquosa cito corruptelam init. A corticibus aurantiorum sapor corrigitur

Monogr. J. F. Cartheuser de rad. Columbo. Frf. 1773.

Consolida major, Symphitum. *Offic.*

Schwarzwurzel.

Symphitum officinale Botan. Symphytum foliis ovato lanceolatis decurrentibus Lin. Planta perennis in locis umbrosis subhumidis Europæ australioris frequens.

Pars usualis. *Radix* siccata, ramosa, magna, digitum crassa, recens carnosa & viscida, siccata vero & diu servata spongiosa & farinosa, fragilis extus nigra, interne alba, inodora, sapóris mucilaginosi, viscidi. Copiosiorem, tenacioremque mucilaginem largitur quam althæa.

Vires mucilaginosæ, relaxantes, involventes, in diarrhæa & dysenteria laudabiles, althææ analogæ. Vires subadstringentes olim inepte huic radici imputatæ. Nam externe adplicata hæmorrhagias more viscosorum sistit.

Dosis. Unica semis radicis pro libra decocti.

Contrajerva *Offic.*

Giftwurzel.

Dorstenia Contrajerva Botan. Dorstenia scapis, radicatis foliis pinnatifido palmatis serratis,

receptucalis quadrangulis Lin. Planta perennis in America meridionali, in nova Hispania, in Peru, Mexico, Tabago, insulis Vincenti & vera cruce crescens.

Pars usualis. *Radix* rugosa, solida, ex trunculo nodoso & tuberculato emittit ad latera & deorsum copiam fibrarum longarum ramosarum tenuium, tenacium, nodosarum; extus e flavo bruna, intus ex albo flavescens, saporis subacris & amaricantis, fervidi, odoris debilis aromatici. Etiam aliarum Contrajervæ specierum radicibus commiscetur, & inquinatur. Eligatur ponderosa, non cariosa, non fibrosa, non inveterata. Decoctum aquosum mucilaginosum, infusum autem spirituosum acre largitur. Primus Dracken eques Anglus anno 1581. quasdam radices in Europam adtulit.

Præparata. *Syrupus Contrajervæ*, cum anatica parte radicis contrajervæ & serpentariæ virginianæ aquæ infusis, atque infuso cum duplo sacchari edulcorato paratus. Tinctura Contrajervæ ex parte una radicis in sex spiritus vini rectificati digesta, gratius rubra, quam aquosum hujus radicis infusum.

Vires stimulantes, excitantes, diaphoreticæ, propterea alexipharmacæ dictæ; nam Contrajerva Hispanis quævis planta venenis obposita dicitur. In febribus nervosis cum virium vitalium languore, prouti radix Angelicæ & Serpentariæ virginianæ frequenter & cum fructu adhibetur; potentiores vero serpentariæ virginianæ vires a Murrayo & aliis merito tribuuntur.

Dosis. In pulvere grana decem, usque viginti; in infuso drachmæ duæ ad unciam semis. Prævalet vinosum.

Tincturae drachma semis vel una; syrupi uncia semis vel una.

Monogr. G. W. Wedel de Contragerva. Jen. 1712.

Coriandrum *Offic.*

Coriander.

Coriandrum sativum Botan. Coriandrum fructibus globosis Lin. Planta annua umbellata in Asia & Europa meridionali spontanea, in nostris agris & hortis culta.

Pars usualis. *Semina* globosa, striata, flavo, fusca, odoris non ingrati, aromati, subvirosi, siccatione corrigendi, saporis aromatici, subdulcis, subacris.

Ingreditur aquam carminativam & carmelitarum.

Vires stimulantes, carminativæ, stomachicæ, incidentes, veteribus suspectæ habitæ. Superfluum remedium, ubi anisum datur.

Dosis. In pulvere grana decem & plura; in infuso drachmæ duæ vel tres.

Monogr. Jo. Boecler de Coriandro. Arg. 1739.

Cortex peruvianus, China *Offic.*

Quinquina, Cortex corticum.

Fieberrinde, Peruvianische Rinde.

Cinchona officinalis Botan. Cinchona foliis ovato lanceolatis glabris, capsulis oblongis Vahl. Arbor excelsa & crassa, interdum superans crassitiem corporis humani, crescens in America australi in Regno Peruviano, præcipue prope urbem Loxam in tota montium catena, austrum versus ad 30, septentrionem versus ad 20 circiter milliaria se extendente.

Pars usualis. *Cortex.* Ab Hispanis in Sarcinis ex pellibus animalium confectis, 150 libras ponderantibus advehitur; impletis plerumque corticibus variarum qualitatum, quæ a se invicem separari debent.

Optima corticis hujus frusta ex trunco & ramis arboris majoribus veniunt. Occurrunt plus minusve convoluta, minimum digitum circiter crassa, & duos vel tres pollices longa, sicca, ponderosa, fragilia, extrinsecus fusca, scabra & communiter lichene albo vel cinereo hic inde obducta, intrinsecus levia & ferruginea, sive coloris cinnamomei, saporis subamari, subadstringentis cum aliquo mucore, odoris debilis, specifice mucidi & subaromatici, seligantur præcipue illa, quæ tenuiora, convoluta, extus fusca & lichene vestita, interne coloris cinamomei obscurioris sunt, solida, pon-

derosa & siccissima, diffracta nec fibrosa nec pulverulenta, sed punctis resinosis nitentia, quorum bonitas etiam ex decocto aquoso dijudicatur, quod scilicet, dum calidum est, rubricundo brunum colorem sistit, frigefactum vero palescit in colorem bruno flavescentem, sedimento ad fundum dejecto. Rejiciantur cortices extus glabri & quasi politi, nigri, pallide flavi vel rutilantes, tenaces vel fungosi, interne albidi vel cinerei, diffracti fibrosi, lignosi, farinosi, amari, valde adstringentes, nauseosi, aut insipidi, vel & decoctione aut infusione prægressa, viribus jam privati.

Partes tum gummosæ, tum resinosæ huic cortici insident, sed proportione haud certo determinanda. Vis medicata in resina latere videtur, quæ quidem protracta coctione in aqua elicitur, non vero solvitur, sed turbidum decoctum reddit, & denique fundum petit. Sexdecim unciæ corticis cum aqua coctæ, extracti aquosi uncias tres largiuntur cum vino sex uncias, cum spiritu vini uncias duas & drachmas duas. Vinum igitur optimum menstruum corticis peruviam esse videtur. Tamen & in extracto gummoso plurima semper pars resinosa simul juncta est. Infusio frigida nonnisi amaritiem e cortice extrahere valet.

Vires hujus corticis medicatæ fortuito casu detectæ fuerunt, dum scilicet, Hallero testante, Barbari ex aqua lacuum potata, in quibus trunci arboris maceracantur, a febri intermittente liberati fuissent. Celebre nomen autem nactus fuit anno 1638, ubi Commitissa de Cinchon, Peruviani Proregis conjux, ejus usu a pertinaci febre sana-

ta fuit. Ab Anno 1640 usque 1648 in Europa, præcipue Hispania & Italia per Societatem Jesu magis magisque divulgabatur, a dicta Commitissa gratis distributus. Acres tamen ortæ sunt lites, cum medici Hispani, Galeno addicti, pertinaciter abstinerent ab ejus usu. Postea vero jussit Papa Innocentius X., ut vires hujus remedii exactius inquirerentur; quo facto Romæ erectum est emporium corticis peruviani. Tandem Sydenhamus & Mortonus omnem lapidem moverunt, suaque auctoritate effecerunt, ut indies magis in usum vocaretur hoc remedium.

Præter istum autem hic descriptum vulgatissimum peruvianum corticem, plures aliæ species serius innotuerunt, atque in nonnullas officinas jamjam adsumuntur. Liceat præcipuas saltem hic enumerare.

Cortex peruvianus ruber, seu Cortex Chinæ rubræ ex alia fors specie Cinchonæ obtentus, in regni Mexicani provincia Santa Fé, in sylvis supra insulam St. Luciæ anno 1779 detectus fuit, atque per Anglos nobis primum innotuit, qui in bello cum Hispanis navim hoc cortice onustam abstulerunt. Ejus frusta sunt crassiora, majora prioribus, ponderosiora minus convoluta, diffracta fibrosa adparent, & manifeste tria strata sistunt, quorum primum seu externum (cuticula) tenue, scabrum & rugosum, e rubro fuscum, lichene cinereo vestitum; alterum (sive cortex proprius) fragile & resinosum, coloris obscure rubri, & tertium (liber) lignosum, fibrosum & coloris rubricundi. Saporem habent amariorem

& magis adstringentem, facilius quoque in pulverem subiguntur. Infusa & decocta hujus corticis saturatiorem rubrum colorem contrahunt, nam majorem longe quantitatem solubilium partium continet tum aquæ, tum spiritui vini communicabilium. Teste cl. Ackin $\frac{1}{4}$ resinosi extracti, $\frac{1}{8}$ gummosi largitur. Nec decoctum corticis rubri eam decompositionem patitur, quam vulgaris. Manifesta globulos olei ætherei in superficie aquæ ejusdem destilatæ observare voluit Irrving. Extractum amarius, Quassiæ æmulum. In corpore humano sæpe dimidiam dosin hujus corticis satisfacere, defendit Saunders. Jam nunc raro sincerus haberi potest.

Cortex Chinæ regius seu luteus ex ignota arbore & patria, sed certo ex America hispanica obtentus, anno 1790 innotuit. Occurit in frustis vix convolutis, exteriori cute, quæ ferruginea est, plerumquæ destitutis, quatuor circiter pollices longis, unumque latis, profunde luteis, fragilibus, fibrosis, odoris minus debilis, saporis amari, subacris, subaromatici, vix adstringentis. Non multum resinosi continere videtur; in pulverem facillime teritur, colore cinnamomum fere referentem. Non confirmatur experimentis, minores ac vulgaris corticis doses sufficere. Sed sæpe ex sarcinis vulgaris hujus frusta flava selecta loco regii corticis divenduntur.

Cortex Chinæ Tecamez ex propria Cinchonæ specie colligitur, atque nomen suum adquisivit a pago Tecamez in littoribus Quito Americæ australis. Ab anno 1790 Anglis notus est, caro pretio constat, & raro adquiri potest. Tenuis, fra-

gilis, in longa frusta convolutus coloris fusco nigri, odoris debilissimi, saporis subaromatici, valde adstringentis, diffractus minime fibrosus, in pulverem redactus aurantiacum aut rhabarbarinum fere colorem induens. Vide Friese in Hufeland Journal 5. B.

Cortices Chinæ angustifoliæ, borgerensis, brasiliensis, caribææ, corymbiferæ, martinicensis, surinamensis, spinosæ, itidem cortices Cinchonæ floribundæ & macrocarpæ in nostris officinis non reperiuntur, neque multum a vulgari quo ad vires distincti esse possunt.

Præparata ex vulgari cortice peruviano.

Extractum Corticis peruviani ex decocto aquoso inspissato, resinosis quoque partibus fætum mellis plerumque consistentiæ. In nonnullis officinis adhuc ex priori Dispensatorio extractum spirituosum sive resinosum prostat, tum molle, tum siccum, sal essentialis inepte sic dictus, utrumque pro forma pillulari.

Syrupus Corticis peruviani cum vino digesti, & duplo Sacchari edulcorati. Tinctura Corticis peruviani in sexduplo Spiritus vini rectificati digesti.

Ingreditur electuarium antifebrile.

Vires summe roborantes; adstringentes, nervinæ & antispasmodicæ, resolventes, anthelminticæ, antiputredinosæ, specifice antifebriles. Maximus hujus remedii usus & eximius in febribus intermittentibus & nervosis continuis, tum acutis, tum lentis, verminosis, hecticis, absente gastrico fo-

mite & sthenica nota, in morbis periodicis plerisque, spasmodicis, convulsivis; hysteriasi, hypochondriasi, epilepsia, tussi convulsiva in omni debilitate vera & laxitate, & in reliquiis omnibus e debilitate & morbis diuturnis exoriundis, atque in nimia irritabilitate Systematis nervosi e simili causa proficiscente, in profluviis laxorum, hæmorrhagiis, diarrhæis, diabete, fluore albo; in cachexiis, rhachitide, scrophulis, ulceribus, hydrope, scorbuto; denique in omni languore vitali, ubi miserorum insanabilium superstitis vitulæ scintillæ fovendæ, in cancro, marasmo, paralysi, gangræna, sphacelo &c. &c. Sunt tamen ægri, qui ex usu remedii hujus sæpe purgantur; proinde debilitantur, tuncque talia addenda erunt; quæ datus casus postulabit, specialia plura hic adsignari non possunt nam ad Therapiam spectant.

Non facile deprehenditur medicamen, quod cortici huic substitui posset. Laudant quidem cortices hippocastani, salicis, fraxini, cascarillæ, radicem caryophyllatæ & flores chamomillæ. Sed — in intermittentibus saltem febribus — succedaneum adhuc desideratur.

Dosis ratione ætatis & circumstantiarum multum diversa. Maximam efficaciam, præcipuæ in intermittentibus febribus, cortex in substantia exserit, seu in pulvere alcoholisato, sed viscera valida requirit. Ad Scrupulum unum vel semidrachmam aliquoties de die exhibetur, vel per se, vel in electuariis, pillulis cum extracto, aut in proprio decocto, bene concutiendo. In majori dosi ipsis sanis hominibus febrilem paroxysmum causa-

re, adfirmat Hahnemannus. Ubi ventriculus debilior, forma decocti exhibetur, quemadmodum in febribus continuis nervosis. Plerumque uncia una corticis ruditer tusi in duodecim aquæ unciis coquitur ad remanentiam unciarum octo. Hocce decoctum tum pro interno usu, cochleatim aut vasculatim sumendo, tum pro externo, fomentationis, clismatis forma. Mala est methodus sub coctione addendi salem alcalinum, quo principium adstringens decomponitur; atque idem de martialibus intelligendum. Pro infuso aquoso aut vinoso sufficit pro sex unciis liquidi, uncia una corticis ruditer tusi, sæpius tamen concutiendo miscelam. Hujus usus in morbis illis a febrilibus, ubi merus roborandi scopus. In iisdem fere casibus extractum, ad drachmam unam vel duas de die, ad mixturas; pillulas, electuaria, aut ipsius corticis decocta acuenda. Tinctura quoque corticis ad unam duasve drachmas, imo ad plures pro externo usu. Syrupus communiter ad unciam unam.

Monogr. Paul Amann, Antiquartii peruviani historia Lips. 1663.
Badi anast. Cort. peruv. 1663.
C. J. Horbius de febrifuga cortic. Chinæ virtute. Alt. 1693.
Fr. Hoffmann de Chinchinæ modo operandi Hal. 1694.
— — — — de recto Cort. Chinæ usu &c. Hal. 1728.
M. B. Valentini de Chinachina. Giess. 1695.
C. Ph. Lombard de Chinæ Chinæ usu & abusu. Col. 1695.
Ch. J. Lange de Chinæ usu febrifugo. Lips.
J. G. de Berger de Chinchina ab iniquis judiciis vindicata. Vit. 1711.

H. Heinrici de cort. Chinæ usu cauto & susp. Hal. 1713.
J. C. Spies de Cort. peruv. virtute & modo oper. Helmst. 1721.
A. O. Goelicke de impostura Cort. peruv. Frf. 1727.
— — — — — de Cort. peruv. usu in febr. ibid. 1729.
J. A. Kloeck de usu & abusu Cort. peruv. in febr. L. B. 1727.
Hannes de Chinach. usu & abusu. D. 1729.
P. van Baalen de Cort. peruv. Tub. 1730.
A. Vater de efficac. Chinæ ad gangr. sist. V. 1735.
G. Ch. Dethardiug de Cort. peruv. Rost. 1737.
— — — — — — — — — efficac. in gangr. dubia. Rost. 1746.
V. Kreuyfeldt de Cort. peruv. virt. anthehydr. Duisb. 1738.
J. B. Nebel de Cort. peruv. operandi modo. Heid. 1740.
Ev. Rosen de Cort. peruv. Lund. 1744.
Ch. Hart de Cort. peruv. Ed. 1748.
J. A. Scrincius de legit. usu & abusu Cort. peruv. &c. Prag. 1750.
Ph. S. Lürsenius de Cort. peruv. L. B. 1751.
J. Juncker de usu Cort. peruv. &c. Hal. 1756.
J. G. Krüger de Cort. peruv. &c. Helmst. 1757.
Car. a Linné de Cort. peruv. Ups. 1758.
D. G. Trillerus de Cort. Peruv. usu &c. Vit. 1758.
J. Fr. Mautt de Cort. peruv. Leyd. 1760.
A. G. Tretzel de præstantiss. usu Cort. peruv. in Medic. Alt. 1761.
J. W. Hartiens de Cort. peruv. Ultraj. 1762.
H. P. Sultzer Theses de Cort. peruv. Arg. 1763.
J. Fr. Rodeuberger de Cort. peruv. præstantia Arg. 1763.
Rich. Pulteney de Cinchon. offic. Edinb. 1764.
A. E. Buchner de usu Cort. peruv. chirurg. Hal. 1766.
— — — — — de virt. Cort. peruv. antiphlog. Hal. 1768.

A Nunn de princip. Cort. per. Erf. 1767.
J. Fr. Moller de vera Cort. peruv. vi specifica. Gott. 1768.
J. J. Reichard de peruv. Cort. in plur. gener. febr. exhib. opportunitate. Gott. 1768.
Fr. A. Ackermann de Cort. peruv. Oen. 1769.
E. G. Baldinger de Cort. peruv. connubiis & eum exhibendi modis. Jen. 1769.
J. Warren de Cort. peruv. Edinb. 1771.
Chr. G. Krazenstein de usu Cort. per med. Hafn. 1773.
R. Eschasseriaux de Cort. peruv. Monsp. 1775.
J. M. Luther de præcip. usus Cort. peruv. contraindicant. Erf. 1778.
H. J. Ruer de vi Cort. peruv. antispasm. Gott. 1779.
G. Wynne de Cort. peruv. &c. Edinb. 1779.
Uhland hist. Cort peruv. med. pract. Tub. 1781.
Schott de Cort. peruv. rubro. Harder. 1781.
G. F. Sigwart histor. Cort. peruv. &c. Tub. 1782.
A. J. v. Orlow progr. de Cort. peruv. rubro. Reg. 1788
Ad. M. Birkholz de Cort. peruv. virt. propria & specif. Lips. 1785.
J. A. C. Gravenhorst diss. de Cinchonæ corticibus. Gott. 1791.
Ruiz von dem officinel. Fiberrindenbaum und den verschiedenen Arten desselben. 1794.
Comparetti observationi sulle proprieta della China de Brasil. Pad. 1794.
J. Relph inquiry into the medical efficacy of a new species of peruvian Bark, under the name of gellaw Bark. 1794.
— — — Deutsch durch Friese. Brel. 1797.
Fr. Mirabelli chemishe Untersuch. der gelb. peruv. Rinde aus dem Ital. von Titius. 1797.
C. J. Stehr de mutatis per usum cortic. peruv. systematibus med. Hal. 1799.

Omissi (& hic & alibi) sunt illi auctores, quorum tractatus stricte therapeutici, habito præcipue ad speciales morbos intuitu.

Creta alba *Offic.*

Weisse, kölnische Kreide.

Carbonas calcis nativus Chem. Terra peralba, levis, fragilis & friabilis, scriptura inquinans, sapore & odore carens, aquam avide imbibens, humectataque argillam spirans, acidis fere omnibus, præter vitriolico, facile solubilis, calcinatione acido carbonico privata in calcem vivam abeunt. Optima fere Coloniensis.

Vires interne absorbentes, externe exsiccantes. Usus tamen medicus perrarus, aut nullus; pharmaceuticus aliquis, uti pro paranda aqua mephitica.

Monogr. Ch. Helwigius de Creta. Gryp. 1705.

Crocus *Offic.*

Safran.

Crocus sativus Botan. Crocus stigmate tripartito longitudine corollæ reflexo, foliis linearibus margine revolutis Willden. Planta perennis sponte quidem in Persia & Turcia crescens, utplurimum vero arte culta in Oriente, Gallia, Sicilia, Hispania, Lusitania, Anglia, Bavaria, Silesia, & præcipue in Austria.

Pars usualis. *Stigmata* pistilli, sive laciniæ trifidæ floris, quæ in pistillo ex apice styli

emergunt, planæ, siccatione vero varie corrugatæ & contortæ. Color profunde ruber in aureum vergens, sive rutilus, splendidus, odor penetrans aromaticus specificus, narcoticus, sapor amaricans aromaticus, nonnihil acris. Eligatur neque marcidus, neque humidus tactu, levis, tenax, mollis, longus, subpinguis; digitos oleo inquinans, odore & sapore fortis, rejiciatur pallidus & debilis. Præcipue caveatur ab inquinato aut fibris carneis fumo induratis, qui prunis injectus fætet, aut a carthami tinctorii vel calendulæ flosculis adulterato, dilutius flavo, tincturam grate flavam minime exhibente. Austriacus crocus orientali propterea vix non præferendus, quia genuinus, & facilius recens comparandus. In vesica clausus pyxidi stanneæ immissa a pharmacopolis adservandus.

Vires croci tingentes & odoras (saponaceas fere) tum aqua, tum Spiritus vini extrahit. Destillatione olei ætherei exigua quantitas obtinetur, aqua specifice gravioris; ex unciis scilicet tribus vix guttæ decem.

Præparata. *Tinctura Croci* ex una parte croci cum octo Spiritus vini rectificati digestione obtenta. Quæ si superfluo alcohole privatur, atque ad spissitudinem evaporatur, extractum Croci spirituosum exhibet.

Ingreditur etiam laudanum liquidum, pulverem contra tussim, elixirium proprietatis & pillulas Rufi, balsamum commendatoris, emplastrum de mucilaginibus, de galbano crocatum & oxycroceum.

Vires stimulantes, excitantes (ut ajunt exhilarantes) antispasmodicæ, sub certo respectu anodynæ, majori dosi narcoticæ; a multis qua uterinæ laudatæ, atque in defectu mensium ex debilitate uteri & totius systematis, omnino laudabiles. Externe resolventes, discutientes, in vera inflamatione dolores non lenientes. Præstantius culinare aroma, quam medicamen. Magnum quoque usum in technicis habet.

Dosis in pulvere a granis quinque usque ad viginti in infuso Scrupulus unus vel duo. Tinctura a guttis decem ad quadraginta. Extractum ab aliquot granis usque ad Scrupulum; optime forma pillulari.

Monogr. Jo. Ferd. Hertodt Crocologia. Jen. 1671.

J. A. Rauch de usu & abusu Croci. Vien. 1674. r. Tilemann.

Crystalli Tartari vide Tartarus.

Cubeba *Offic.*

Cubeben.

Piper Cubeba Botan. Piper foliis oblique ovatis s. oblongis venosis acutis, spica solitaria pedunculata oppositifolia, fructibus pedicellatis Lin. Planta perennis frutescens in Malabaria, Guinea & Javæ sylvis sponte crescens.

Pars usualis. *Fructus*, baccæ siccatæ, sive grana rugosa, piperis magnitudinis, nucleum parvum nigrescentem, unguinosum complectentia,

petiolo longo instructa, coloris grisei aut subfusci, odoris fragrantis grati, saporis aromatici, acris, calidi, subamari, subcamphoracei.

Vires stimulantes, carminativæ, stomachicæ; anthelminticæ, incidentes. Usus perratus.

Dosis a granis decem ad viginti in pulvere; drachma una vel duæ in infuso aquoso, aut potius vinoso, spirituoso.

Monogr. G. W. Wedelius de Cubebis.

Cuprum.

Metallum omnibus notum, post Dioscoridem a Boerhavio aliisque multis pro usu medico commendatum. Vires quidem venenatas, emeticas, drasticas possidet sub interno usu, ast cauta manu exhibitum effectus quoque salubres exserere valet. Ipsam limaturam cupri e pane butyraceo ad præcavendam hydrophobiam e morsu rabido, absque detrimento propinatam legibus, atque in Hungaria hancce methodum hodiedum adhibitam scimus. Præcipue externum in usum frequentissime a Chirurgis magno cum emolumento trahitur.

Præparata. *Aerugo* seu *Viride aëris*, cuprum aceto oxydatum, seu cuprum per acidum vinaceorum acescentium, cum quibus perstrata disponitur, corrosum. Hacce arte in meridionali præsertim Gallia magna copia paratur, & divenditur, acinis adhuc uvarum & racemorum non raro impurum. Pro usu autem medico depuratum & magit oxydatum requiri-

tur; hinc in destillato aceto solvitur, filtratur, & crystallisatur; atque venit nunc sub nomine aeruginis crystalisatæ, seu (inepte) destilatæ. (Acetis cupri; cuprum acetatum). Crystallos format quadrilateras pyramidales, nitentes, siccas, fragiles, coloris e cæruleo viridescentis, saporis acidi, æcris & nauseosi metallici, in aqua & spiritu vini solubiles, atque solutioni colorem elegantem viridem impertientes; ad tactu aëris vero in pulverem pallide viridescentem defatiscentes. Addito melle & aceto, coctione & inspissatione paratur unguentum ægyptiacum sic dictum sive oximel æruginis.

Vires. Interne minima dosi adsumtum hoc æris viride, atrocissimum est emeticum, diros vomitus cum vitæ periculo causans, venenis propterea adnumeratum. Nuper tamen in variis morbis — incassum tentatum, atque præmature nimis laudatum qua anthelminticum, antihydropicum, antiepilepticum, antihydrophobicum. In frigidissima Russia solutio saturata cupri in aceto ad guttas quinque vel decem & plures de die pro antisyphilitico medicamine servit. Externus æruginis usus frequentior & certior, scopo corrosivo, ulcera purificante, detergente, siccante. Quare ad carnem luxuriantem prohibendam & absumendam, atque ad ulcera sordida purificanda a chirurgis utiliter adhibetur, tum unguenti (oximelis) tum & pulveris forma. Paratur quoque ceratum cum ærugine ad pedum clavos & verrucas erodendas.

Vitriolum cupri seu cæruleum dictum, sulfas cupri, est sal metallicus ex cupro & vitrioli

acido compositus. Crystallos format latas prismaticas sexlateras utroque extremo sed juxta lineas parallelas truncatas, læte cærulei sive saphirini coloris, saporis stiptici, acris, nauseosi. In aëre, si purum est, pulvere obducitur albo, si vero ferro inquinatum (prouti vendibile utplurimum est) flavescente. In aquæ quatuor partibus, minime vero in spiritu vini solvitur. Omne fere in Germania, præcipue artis opera progignitur, aut ex mineris cupro & sulphure gravidis, aut ex cupri tabulis per sulphuris vapores corrosis, aut ex aquis vitriolicis cupreis evaporatis obtinetur.

Vires interne venenatæ, emeticæ, corrosivæ, quare interne non adhibetur. Externe itidem corrosivæ & stipticæ, ad excrescentias & condylomata consumenda a Chirurgis usitatæ. Solutio hujus vitrioli dilutior in gonorrhæa, inflammatione jam absente, pro injectionibus adhibita fuit, & ad vermes in ulceribus necandos. Olim vitriolum hoc pro pulvere sympathetico.

Cuprum ammoniacum, sulfas cupri ammoniacalis, paratur ex duabus partibus vitrioli cupri cum tribus alcali volatilis sicci in mortario tritis, donec effervescentia cesset. Massa leni calore siccata adservatur.

Vires hujus præparati in majori dosi sunt quidem emeticæ, drasticæ, sed minus venenatæ ac priorum. In minima dosi qua antispasmodicæ commendantur in epilepsia, hysteria & in febribus intermittentibus.

Dosis. Granum semis aut unum in unciis quatuor aquæ destilatæ solvitur, atque cochlear unum omni bihorio exhibetur. Dum vomitum ciet, aut

nauseam solum vehementem cum torminibus vel cardialgia causat, illico ab ulteriori usu abstinendum.

Monogr. B. Roussel de Cupro. Edinb. 1759.
C. G. Weitzenbreyer de Cupro medicato. Erf. 1783.

Curcuma *Offic.*

Gilbwurzel.

Amomum Curcuma Jacq. Curcuma longa Lin. Foliis lanceolatis utrinque acuminatis, nervis lateralibus numerosissimis. Planta perennis Indiæ orientalis, a Chinensibus, item in Java & Balega technico scopo in hortis culta, per dissectas radices propagata.

Pars usualis. *Radix* tuberosa, nodosa, crassa, mox oblonga (Curcuma longa), mox globosa magis (Curcuma rotunda), dura, ponderosa, solida, rugosa, extus pallide lutea, intus profunde flava, crocea & temporis decorsu punicea; saporis amaricantis, subacris, subcalidi & leviter aromatici, odoris fragrantis. Infusione aquæ obtinetur tinctura crocei coloris, quæ ab acidis instillatis pallidior redditur, ab addito alcali illico in colorem badium mutatur.

Usus ad parandam tincturam, reagente scopo pro detegendis salibus alcalinis usitatam. Tamquam medicina non amplius adhibetur. Adscribuntur tamen vires subtonicæ, resolventes, diureticæ; quondam antiictericæ.

Dosis potest esse ad drachmam semis pluries in die. Forma in pulvere, vel in tinctura spirituosa, nam medicatæ vires in resina latent.

Monogr. A. E. Buchner de Guricma Hal. 1748.

Cydonia, Cotoneum *Offic.*

Quitten.

Pyrus Cydonia Botan. Pyrus foliis integerrimis, floribus solitariis Lin. Arbor himilis in hortis culta, frequens in Hungaria ad ripas petrosas danubii, in Turcia, & in insula Creta. Variat fructu oblongo, globoso & pyriformi. Cujus fructus pyriformis est, ad usum medicum & œconomicum præfertur.

Pars usualis. Fructum pyriformium, odoris specifice gratis, saporisque subausteri *Semina*, oblonga, compresso angulata, difformia, uno extremo obtusa, altero acuata, uno latere plana, altero convexa, extus nitida, brunea, intus alba, pulposa, mucilagine abundantia, quæ coctione vel infusione facile elicitur, præcipue ex corio externo.

Præparatum. *Mucilago seminum Cydoniorum* ex drachmis duabus subtrituratione ope sex unciarum aquæ extracta; expressa & colata albumini ovorum æmula.

Vires hujus mucilaginis involventes, in diarrhæis; dysenteriis atque in defectu muci naturalis laudandæ; externe ad excoriationes papillarum labiorum, linguæ, faucium, genitalium usitatæ. Usus externus frequentior.

Monogr. Jung malum aureum s. Cydon. Vind. 1673.
Ph. Fr. Eysel de medicamentis ex malo Cydonio paratis. Erf. 1717.
L. Heister de Cidoniis. Helmst. 1744. r. Bauer.

Datura vide Stramonium,

Daucus sylvestris *Offic.*

Wilde Möhren, Gemeines Vogelnest.

Daucus Carota Botan. Daucus seminibus hispidis, petiolis subtus nervosis Lin. Planta umbelata biennis, in dumetis, collibus, campis & pratis aridis spontanea; radicis gratia in agris hortisque culta.

Pars usualis. *Semina* subrotunda, altero latere plana, altero convexa, aspera, hispida, ex viridi fusca, saporis aromatici, subamari, odoris fragrantis.

Vires stimulantes, carminativæ, incidentes. Usus obsoletus.

Dosis in pulvere grana decem aut viginti; in infuso uncia semis.

Dictamnus albus *Offic.*

Weisser Diptam.

Dictamnus albus Botan. Planta perennis in locis montosis Galliæ, Italiæ, Germaniæ Spontanea. Atmosphæra inflammabili cingitur.

Pars usualis. *Radix* crassa, divaricata, coloris externe gilvi, interne albicantis, odoris hircini, saporis aromatici, amaricantis, uterque siccatione multum imminuitur. In cortice exteriori majores quam in pulpa vires latere videntur.

Ingreditur spiritum balsamicum, & pulverem antiepilepticum.

Vires stimulantes, anthelminticæ, in epilepsia a vermibus laudandæ.

Dosis ad grana viginti in pulvere, ad unciam unam in libra infusi vinosi.

Monogr. A. E. Buchner de Fraxinella. Erf. 1742
Ant. L. B. Störk in libello de flamm. Jovis. Vien. 1769.

Digitalis *Offic.*

Fingerhut.

Digitalis purpurea Botan. Digitalis calycinis foliolis ovatis acutis, corollis obtusis, labio superiore integro Lin. Planta biennis in Europæ australioris montibus, inprimis in sylvis cæduis Helvetiæ & Sueviæ habitans; colitur etiam in hortis.

Pars usualis. *Herba*, rectius *folia*, post expansionem florum colligenda, ovato lanceolata, petiolata, rugosa, leviter & inæqualiter crenata, majora, mollia, supra obscure viridia, infra pallidiora, subhirsuta, saporis ingrate amari & adeo acris, ut partes gustantes exulcerentur.

In nonnullis officinis extractum prostat.

Vires venenatæ, drasticæ, symptomata quoque herbarum narcoticarum excitantes, vertiginem,

oculorum caliginem & specialius pulsum tardum in moderatissima dosi resolventes cum irritamento, diureticæ; in scrophulis & indurationibus glandularum atque in hydrope cum fructu tentatæ a medicis Percivall & Withering, aliorumque experimentis confirmatæ. Externe cataplasmatis aut unguenti forma ad ulcera fœda.

Dosis. *Pulvis* herbæ a grano uno adscendendo ad tria bis vel ter de die; etiam forma pillulari. Extracti granum semis ter aut quater in die. In infuso drachma una herbæ ad libram aquæ per quatuor horas protracto. Diuturnus & incautus usus periculosus. Saltem doses non sæpe sunt repetendæ, quia effectus per plures dies durare valent.

Monogr. W. Withering vom rothen Fingerhut. Leipz. 1784. 1799.
C. Chr. Schiemann Diſs. de Digitali purp. Gott. 1785.
Darwin de Digit. purp. (in Samml. für pr. Aerzte.)
J. J. Merz Diſs. de Digitali purp. ejusq. usu in Scrophulis medico. Jen. 1790.
J. Ferriar an Eſsay on the medical properties of the Digitalis purpurea. Lond. 1799.

Dulcamara *Offic.*

Bittersüſs.

Solanum Dulcamara Botan. Solanum caule inermi fruticoso scandente, foliis cordatis glabris, superioribus auriculatis, corymbis oppositifoliis Willden. Planta frutescens ad sepes, in fruticetis, in humidis locis indigena.

Pars usualis. Caules vulgo *Stipites*, fle-

xiles, pennam anserinam & supra crassi, plures pedes longi, ramosi, glabri, lignosi, virides, & dum adulti fusco virides, fistulosi, cum medulla spongiosa in medio, saporis primo subamaricantis, dein dulcis, odoris mucidi, virosi. Primo vere, vel autumno in locis siccioribus colliguntur, a foliis liberati. Quolibet anno recentes comparantur.

Præparatum. *Extractum Stipitum Dulcamaræ* ex decocto aquoso inspissato.

Vires subemeticæ, alterantes, potenter & cum irritamento resolventes, secretiones promoventes; in morbis arthriticis, scrophulosis, lymphaticis aliis & vasorum absorbentium summopere commendabiles, in majori dosi periculosæ, drasticæ. Stranguriam ingratum pruritum in cute & genitalibus causantes.

Dosis a drachmis duabus in die incipiendo, forma decocti protractioris vasculatim exhibendi.

Adscenditur facile ad majores doses, dummodo vomitus non causatur. Extractum ad grana decem ab initio, forma mixturæ aut pillulari.

Monogr. C. E. Spissenhof de Dulcamara. Heid. 1742. r. Schobinger.

G. Hallenberg de Dulcamara. Ups.
Car. a Linnè de Dulcamara. Ups. 1771. It. in amænit.
Kühn, Solamen dulcamarum non esse. Frf. 1779.
— — — deutsch 1785.
Carrere in Samml. für pract. Aerzte.
J. G. Otto de usu med. Dulcamaræ. Jen. 1784.

Ebulus *Offic.*

Attig.

Sambucus Ebulus Botan. Sambucus cymis tripartitis, stipulis foliaceis, caule herbaceo Lin. Planta herbacea perennis, procer ubique fere apud nos obvia.

Pars usualis. *Fructus* baccæ scilicet subrotundæ cum stellato umbilico, uniloculares, cum seminibus tribus ovatis, subtrigonis, rugosis; dum maturæ sunt, coloris nigri & succo nigro violaces divites, saporis proprii subacidiusculi. Stirps tota & baccæ non multum absimiles sambuco; sed vires fortiores.

Præparatum. *Roob Ebuli*, ex sex partibus succi baccarum cum una parte sacchari inspissatis.

Ingreditur electuarium purgans.

Vires solventes, diureticæ, purgantes, in cachexia, leucophlegmatia & hydrope absque virium jactura, non spernendæ.

Dosis. Roob ad unciam unam per se exhibitum leniter purgat; plerumque autem cum aliis in electuario miscetur.

Elemi *Offic.*

Elemiharz.

Amyris elemifera Botan. Amyris foliis ternatis quinato - pinnatisque subtus tomentosis

Lin. Frutex in Carolina, Brasilia & nova Hispania habitans.

Pars usualis. Ex cortice inciso succus resinosus promanat, qui dum solidescit, resinam sistit fragilem, Elemi dictam, semitransparentem, calore mollescentem; foliis arundinaceis involutam nobis advectam. Coloris est flavo albescentis, ad griseum aut viridem inclinantis; odoris fragrantis peculiaris, non ingrati, fœniculacei, saporis amaricantis. In alcohole penitus solvitur, in oleis pro parte. Occurrit etiam spurium ex resina flava cum oleo terebinthinæ compositum, sed odore facile distinguendum. Alia quoque consimilis & sincera resina ex Zeilonia advehitur, & universim resinæ hujus origo non penitus detecta & determinata est.

Præparatum. *Unguentum Elemi* vulgo *Balsamum Arcæi* ex terebinthina, porci axungia, sebo cervino & resina Elemi leni liquefactione compositum.

Ingreditur etiam unguentum de styrace.

Vires externe vulnerariæ, subpurationem promoventes, depurantes, consolidantes; quare in balsamis vulnerariis adhibetur, atque resolvente scopo etiam in emplastris adhiberi posset. Usus internus nullus.

Enula *Offic.*

Alant.

Inula Helenium Botan. Inula foliis amplexicaulibus ovatis rugosis, subtus tomentosis, calycum squamis ovatis Lin. Planta perennis in pratis

humidis, depressis Angliæ, Belgii, Helvetiæ, Italiæ sponte crescens, apud nos in hortis quidem culta, sed ad usum medicum minime apta.

Pars usualis. *Radix* primo vere fodienda, magna, longa, ramosa, non multum fibrosa, extus bruna dum recens, siccata vero glauca, interne pallida, saporis initio subrancidi, glutinosi, postea amari, acris, subaromatici, odoris recens camphoracei, aromatici, siccata vero violacei. Latet ætherei olei aliqua quantitas, quod butyraceam consistentiam induit.

Præparata. *Tinctura Enulæ* e radice cum sex duplo spiritus vini rectificati digesta. Abstractione spirituosi, evaporatione & inspissatione Extractum Enulæ spirituosum obtinetur.

Vires stimulantes, stomachicæ, incidentes, atque propterea pectorales laudatæ, in morbis scilicet pulmonum absente vera inflammatione, & in tussi stomachica. Externe antiscabiosæ.

Dosis in *pulvere* grana decem aut viginti, in infuso vinoso drachmæ duæ & plures. Tinctura ad scrupulum unum, duos &c. Extractum vix moderatiore dosi, nam volatiliora avolarunt.

Monogr. J. Ad. Wedelii Diss. de Helenio. Jen. 1719.

Euphorbium *Offic.*

Euphorbium.

Euphorbia officinalis Botan. Euphorbia aculeata nuda multangularis, aculeis geminatis Lin.

Frutex in Africa calidiori & Capite bonæ spei habitans.

Pars usualis. Dum vulneratur planta incisione, succum gummiresinosum lacteum emittit (quem etiam aliæ Euphorbiæ species largiuntur, præcipue antiquorum & canariensis Lin.), solis calore condensatum. Haecce gummiresina sub nomine Euphorbii nobis advehitur in guttis vel lachrymis variæ magnitudinis & multiplicis figuræ, globosis, oblongis, angulatis, ramosis, excavatis vel perforatis (ab aculeis, quibus succus adhærescit), friabilibus, arena, terra aliisque heterogeneis subinde mixtis, extus sordide flavescentibus vel rufescentibus, intus albicantibus; saporis post longiorem masticationem mordacis & urentis. Flammæ ad motum Euphorbium ardet odore grato & flamma lucida. In resinosa parte virtus.

Vires interne venenatæ; externe inflammantes, rubefacientes, vesicatoriæ, validissime ptarmicæ. In carie ossium pulveris aut tincturæ forma adhiberi potest, cavendo tamen, ne partes carnosæ tangantur. Interim medicamen hoc e penu pharmaceutica potius eliminari meretur, atque Boerhaavio suadente Hippiatris relinqui.

Monogr. Car. a Linnè Diss. de Euphorbio. Usp. 1752

Faba *Offic.*

Bohne.

Vitia Faba Botan. Vicia caule erecto, petiolo absque cirrhis Lin. Planta annua in Aegyp-

to & ad mare caspicum in confiniis Persiæ spontanea, copiose apud nos in hortis & agris culta.

Pars usualis. *Semina* pro culinari magis, quam medico usu. Farina ex hisce parata ad sacculos & fomentationes siccas emolientes in tumoribus calidis & erysipelate a plebe expetitur.

Farfara, Tussilago *Offic.*

Huflattig.

Tussilago Farfara Botan. Tussilago scapo unifloro imbricato, foliis subcordatis, angulatis, denticulatis Lin. Planta perennis ad fossas, & in agris argillaceis & humidis crebra.

Pars usualis. *Folia* subcordata, angulata, dentata, majora, supra dilute viridia, infra lanuginosa incana, saporis subausteri, viscidi.

Ingreditur species pro Theè.

Vires emollientes, in phthisi quondam laudatæ, jam Dioscoridis & Galeni temporibus. Externe recentia folia a pauperibus imponi solent vulneribus.

Dosis uncia semis vel una in libra aquæ pro decocto.

Monogr. Jo. Ph. Eysel Diss. de filio ante patrem, phthisicorum asylo. Erf. 1714.

Fel taurinum.

Ochsengalle.

Fel tauri est bilis cystica, consistentiæ viscosæ, coloris ex flavo viridis, odoris grati, sapo-

ris intense amari. Facile & penitus solvitur in aqua & in spiritu vini, in oleis autem perfectam solutionem negat. Solutio aquosa nec cum acidis, nec cum alcalinis effervescit, ab acidis vero, inprimis mineralibus congelatur & sedimentum deponit gelatinosum. Recens facillime putrescit, ergo ad conservationem in extracti solidioris consistentiam statim inspissari, & in vitro clauso servari debet. Fel tauri inspissatum officinarum.

Ingreditur unguentum de arthanita.

Vires tonicæ, roborantes, resolventes, stomachicæ, viscerales, defectum naturalis bilis resarcientes; in debilitate primarum viarum atque viscerum obstructionibus non inutiles, sed aliis amaricantibus facile subplendæ. Vires anthelminticas negavit Cullenius, Blochius vindicavit; exiguæ omnino.

Dosis ad scrupulum unum & plures forma pillulari.

Monogr. Fr. Hoffmann de Bile, medicina & veneno corporis. Hal. 1704.

Zeller de Bile & ejus usu medico. Par. 1741.

Hufeland de Bilis interno & externo usu medico. Jen. 1752. Pr. Kaltschmied.

R. Ramsay de Bile. Edinb. 1757.

J. Ph. Cezan corporis balsamum Bilis. Par. 1769.

J. D. Schulze de Bile medicina. Got. 1775.

Richter experimenta circa Bilis naturam. Erl. 1788.

C. Reiche Fel taurinum e numeris anthelminticorum expungendum esse. Frf. 1794.

Ferrum. Mars.

Metallum vulgatissimum omnibus notum, a magnete adtrahendum, [chalybis] in formam redactum cum silice scintillam proliciens. Tum forma propria metallica, tum oxydata varia & præparata in usum medicum vocatur. Medicus hujus mettalli usus antiquissimo Melampo jam notus fuit.

Frustum feri purissimi lima pura (quod in ipsis pharmacopolis fieri debet) in scobem redactum, dein in mortario ferreo in pulverem subtilissimum contusum, atque vase bene clauso adservatum, ne aeris adtactu in crocum mutetur, aut ferruginosum evadat, sub nomine limaturæ Martis puræ in officinis prostat.

Præparata. *Aethiops martialis*, oxydum ferri nigrum, est ferrum oxygenis aquæ adfusæ arrosum, subtilissimi nigerrimi pulseris forma occurens. In hoc præparato ferrum semicalcinatum existit, atque a magnete adhuc adtrahitur. In aere autem libero æthiops hic in perfectum crocum mutatur, propterea vase bene clauso adservandus. Paratur etiam juxta Dispensatorium nostrum ex vitriolo ferri puro, in s. q. aquæ destillatæ soluto, cui solutioni necessaria quantitas alcali lixiviosi instillatur, ut calx ferri præcipitetur, quæ edulcata & siccata, cum oleo lini in pultem redacta, eousque calcinatur, donec oleum perfecte combustum fuerit.

Tinctura Martis cum succo pomorum, tinctura malatis ferri, obtinetur dum ferri

limaturæ pars una cum tribus partibus succi pomorum acidulorum digeritur, & ad medietatem inspissatur. Hujus liquoris partes sex cum una parte spiritus vini miscentur & digentur. Si vero hæcce tinctura ante spiritus vini additionem ulterius evaporetur & inspissetur, Extractum Martis cum succo pomorum exoritur. Quod tincturam visceralem ingreditur.

Flores salis ammoniaci martiales, murias ferri ammoniacalis, ex sublimatione partis unius lapidis hæmatitæ pulverati cum sexduplo salis ammoniaci exoriuntur. Colore gaudent aurantis, odore fere croceo, sapore acri salino adstringente, in aëre humescunt, super prunis in cochleari candente in totum avolant. Residuum ex hac operatione est ferrum acido salis calcinatum. Quodsi hoc forti igne tractetur, obtinetur sublimatum in loco humido deliquescens, qui liquor oleum Martis nuncupatur. Hujus olei pars una cum duplo ætheris sulphurici optimi miscetur, quo fit, ut relicto acido salis in fundo, ferrum ab æthere suscipiatur, & una cum illo sub flavi liquoris specie supernatet. Probe separatus ab acido salis hic flavus liquor, in radiis solaribus decolor evadens, atque in umbra denuo semper recoloratus, duabus partibus spiritus vini rectificatissimi mixtus, sistit spiritum ætheris martialem, seu liquorem anodynum martialem, sic dictam tincturam nervino tonicam Bestuscheffii (Lamotische Goldtropfen).

Ferrum vero ad saturationem in aqua forti solutum, instillato triplo fere liquoris salis tarta-

ri, liquidum rubrofuscum gignit, constans ex nitro regenerato, croco martis & alcali lixiviato, atque adservatur sub nomine Tincturæ Martis alcalinæ Stahlii.

Globuli martiales, ponderis unciæ unius in officinis prostantes, ex miscela partis unius limaturæ ferri cum duabus cremoris tartari ope s. q. aquæ in pultem redacta, atque leni calore exsiccata parantur.

Vitriolum martis artificiale, subfas ferri, propterea in officinis paratur, quoniam venale ex pyrite defatiscente obtentum, quam sæpissime cupro inquinatum est. Limatura scilicet ferri pura in s. q. olei vitrioli multa aqua diluti solvitur, atque evaporata solutio crystalisationi exponitur, servanturque crystalli in vitro probe clauso. Crystalli hæ rhomboidales sunt, coloris viridis minime in cæruleum vergentis, saporis ab initio amari, postea vero dulciusculi cum acredine constringente, ab aere accedente in pulverem dilabuntur flavescentem, in sex partibus frigidæ, atque in duabus calidæ perfecte solubiles. Vitriolum hocce constat ex 20 partibus ferri, 36 acidi vitrioli, & 44 aquæ crystallisationis.

Vires & dosis. *Ferrum* ex omnibus metallis minime noxium corpori humano, vix non principium omnium animalium vegetabiliumque constitutivum est, facillimeque ab ipsis nostris humoribus fere subigitur. Universim exserit vires roborantes, adstringentes, stimulantes, resolventes. Quare præcipue in omnibus morbis a laxitate, in cachexia, chlorosi, in mensium defectu,

in digestione debili, scrophulis, rachitide atque virium languore post morbos superatos maximum usum habet & meretur; absentibus fomite gastrico, plethora & omnisthenica nota.

Dosis limaturæ martis puræ a granis decem usque ad viginti & ultra, pro morbi diversitate & ægri irritabilitate; forma pulveris, pillularum, electuarii crassioris aut vini medicati, cum aromatibus aut amaricantibus. Idem fere valet de æthiope martiali, cui pro varia indicatione etiam liamatura martis, aut vitriolum, aut extractum pomatum facile substitui possunt.

Extractum martis pomatum, præcipue ubi vermium simul suspicio est, exhibetur a granis decem ad viginti pro dosi, in mixtura, bolo, electuario, pillulis. Gratiorem paulo saporem habet tinctura martis cum succo pomorum, a drachma una ad plures propinanda per se, aut cum vino.

Flores salis ammoniaci martiales viribus ferri tonicis junctas simul habent salinas solventes, incidentes, stimulantiores, & quodammodo antispasticas. A granis duobus ad decem juxta circumstantias, in pulvere cum aliis exhibentur. Simili fere virtute gaudet tinctura nervino tonica, quod ex denominatione elucet; imo magis adhuc nervina & excitante, ob principia volatiliora conjuncta. A guttis quinque ad decem & ultra in mixturis præscribitur. Tinctura vero martis alcalina Stahlii, nitri atque alcali lixiviosi prævalentes vires solventes

tonicis martialibus jungit. A guttis decem a viginti dari potest.

Globuli martiales externo potissimum usui destinati sunt, aqua, aceto vel vino macerantur, donec color & sapor ferrum solutum testetur; aut aquæ vegeto minerali junguntur, ad fomentationes in vulneribus a laxitate multum subpurantibus, profluviis aliis, tumoribus ædematosis, contusionibus. Etiam balneis roborantibus injiciuntur. Interne grana viginti aut triginta, forma boli, pillularum aut vini medicati.

Vitriolum denique martis artificiale magis efficax & adstringens est, quam ferrum purum. Præcipue egregium anthelminticum sistit remedium, atque vi sua stiptica in profluviis a laxitate, in hæmorrhagiis diabete, pollutionibus &c. summe commendabile.

Dosis infantibus a granis duobus ad decem, adultis ad scrupulum unum, in pulvere cum aliis, vel in mixturis. Externe solutionis vitrioli aquosæ in ulceribus putridis & gangrænosis, nec non in profluviis sanguinis sistendis usus præcipuus est.

Monogr. J. Michaelis de Ferro. Lips. 1658.
R. G. Crause Mars salutifer. Jen. 1672.
G. Rollfinck Diss. chem. de Marte &c. Jen. 1679.
J. Fr. Jani de Martialium operandi modo. Ultr. 1682.
Chr. Vater de virt. Mart. adstr. & aperit. Vit. 1683.
M. Hoffmann de medicament. martial. Alt. 1685.
A. Teutsch de Tincturis martial. Traj. 1693.
A. Spole de Ferro. Ups. 1698.
J. Ph. Homberg de Marte & martial. Marb. 1701.
D. Nebel de medicamentis chalybeat. Heid. 1711.
R. Beard de usu & operat. chalybis L. B. 1713.

J. Vesti de Martial. nat. usu & abusu. Erf. 1713.
J. J. Henninger de medicam. martial. Arg. 1715.
M. Ph. Hartmann de Marte s. Ferro. Reg. 1718.
J. A. Fischer quod sit in Marte, quidquid quærunt medentes. Erf. 1718.
A. Lauiugton de Ferro. L. B. 1719.
L. Roberg de Ferro ejusq. usu vario. Ups. 1725.
J. Ant. de Plecourt de Ferro. Duisb. 1734.
Gourraigne de Ferri usu & abusu. Monsp. 1737.
M. Alberti de Ferro. Hal. 1738.
Jos. Dehn de Ferro chem. & med. considerato. Erf. 1742.
J. J. Weber de Martial. interno usu. Hal. 1748.
A. F. Buchner de viribus & usu Ferri. Hal. 1749.
J. Chr. Stock de præstantia Martis in morb. chron. Jen. 1751.
B. Wepfer de medicamentis chalybeat. Heid. 1751.
E. Wrigth. de Ferri hist. nat. præpar. & usu med. Edinb. 1753.
J. M. Stadler de Ferro optimo auro med. Wirc. 1754.
F. D. Hübner de Marte. Vien. 1755.
Ph. Fr. Gmelin de usu interno Vitrioli mart. fuitit. Tub. 1763.
M. Enzensperger Diss. de Marte. Ing. 1766.
J. S. Kaehler de Ferro ejusq. præpar. Lips. 1768.
Geoffroy observ. de marte & vitriolo.
J. P. Riesenberger de Ferro &c. Got. 1771.
S. E. Keimb de Ferro. In Wasserberg fasc. dissert.
C. Marxer Diss. de usu Ferri med. Oenop. 1772.
J. S. Luboschütz de aperitiva martial. virt. Hal. 1773.
H. Haskey de Ferro, ejusq. in morb. cur. usu. Edinb. 1777.
D. G. Nebel de Ferro. Heidelb. 1781. r. Virmond.
T. Bergmann de analysi Ferr.. Ups. 1781.

G. G. Leonhardi de Ferro animadv. Vit. 1785.
P. J. Hartmann de arcanor. medicamentor. martial. circumspecto usu. Frf. 1787.
Focke de Martis transitu in sanguinem, ejusq. virt. med. Jen. 1793. Pr. Gruner.

Filix Mas *Offic.*

Farrenkraut.

Polypodium Filix Mas Botan. Polypodium frondibus bipinnatis, pinnis obtusis crenulatis, stipite paleaceo Lin. Stirps perennis, in sylvis Europæis montosis, etiam maxime septentrionalibus indigena.

Pars usualis. *Stipes* vulgo dictus *radix*, tempore autumnali colligendus, digitum crassus, tuberculosus, extus squamis ferrugineis obsessus, intus pallidus, odoris debilis nauseosi, saporis ab initio subdulcis, dein amaricantis, subadstringentis.

Vires subtonicæ; specialius anthelminticæ; ad necandos vermes intestinales, præcipue teniam, a Dioscoridis temporibus usuales. Ingreditur hæc radix arcanum Nufferianum contra teniam celebre, & pleraque alia hujus farinæ.

Dosis infantibus a granis viginti ad drachmam semis, adultis ad drachmas duas & ultra, forma pulverum aut electuarii. Conjungitur cum purgantibus; jalapa, gratiola &c. vel cum aliis anthelminticis, uti cum calomele, sed male cum vitriolo martis, quod principium adstringens hujus radicis decomponit.

Flammula Jovis *Offic.*

Brennkraut.

Clematis erecta Botan. Clematis foliis pinnatis, foliolis ovato lanceolatis integerrimis, caule erecto, floribus pentapetalis tetrapetalisque Lin. Frutex in collibus umbrosis Austriæ & Helvetiæ frequens. Non confundatur cum Vitalba & Flammula Lin.

Pars usualis. *Flores* umbellati, albi, dum recentes odorati, masticati ardorem diu persistentem in lingua causantes. Folia in dorso pallidiora, inodora, saporis ex acido subdulcis, acerrimi, linguam exulcerantis, siccata autem parum urentia.

Præparatum. *Extractum Flammulæ Jovis* ex decocto foliorum siccatorum aquoso inspissato.

Vires interne venenatæ, in cautissima dosi irritantes, potenter resolventes, sudores urinasque moventes, in ossium doloribus & morbis cutaneis pertinacissimis, in reliquiis a lue venerea, in cephalæa pertinacei chronica &c. cum fructu tentatæ. Externe rubefacientes, corrosivæ, carnem fungosam libentius, quam sanam consummentes, ulcera fæda, cancrosa depurantes.

Dosis. Pro usu interno florum drachma una, & foliorum drachmæ duæ infunduntur. Extracti granum unum vel duo in die cum saccharo partitis vicibus exhibentur. Pulvis foliorum cum saccharo ad grana tria bis vel ter in die. Externe ad consummendas carnes luxuriosas & ulce-

ra depuranda, necessaria, sed ab initio canta quantitas.

Monogr. Ant. L. B. Störk libellus de Flammula Jovis. Vien. 1769.

Foeniculum *Offic.*

Fenchel.

Anethum Fœniculum Botan. Anethum fructibus ovatis Lin. Planta biennis in Europa calida, Gallia, Hispania, Helvetia, Italia sponte crescens, in diversis regionibus Germaniæ arte culta.

Pars usualis. *Radix*, secundo anno effodienda, fusiformis, digitum crassa, fibrillis paucis obsessa, alba; saporis submucilaginosi dulcis, aromatici. Semina oblonga, uno latere plana, altero convexa, striata, angustata, subscabra, sæpissime incurvata, coloris pallide flavescentis, odoris fortis, peculiaris, saporis aromatici cum dulcedine. Optima ex fœniculo italico, majora & dulciora scatent oleo tum essentiali, tum unguinoso.

Præparata. *Aqua seminum fœniculi* destillata.

Oleum fœniculi seminum destillatum. Syrupus fœniculi seminum.

Ingrediuntur semina balsamum embryonis, aquam carminativam, electuarium pectorale, spiritum balsamicum. Radix syrupum ononidis.

Vires stimulantes, carminativæ. Semina potissimum in colica non inflammatoria, in morbis pectoris pituitosis, & ad augendum lac nutricum

commendantur. Radix diuretico scopo, aut ad decoctorum gratiam augendam ordinatur. Usus antiquissimus, Hippocrati & Dioscoridi notus.

Dosis *seminum* in *pulvere* a granis decem ad viginti; itidem ad pillulas conspergendas. In infuso drachmæ duæ aut quatuor. Oleum ad guttas duas, tres, aqua ad uncias plures; syrupus ad unciam unam. Radicis uncia una in infuso.

Monogr. J. Th. Schenk. de Fœniculo. Jen. 1665.
J. Boecler de Fœniculo. Argent. 1732.
J. Chr. Ehrmann Diss. de Fœniculo.

Fœnugræcum *Offic.*

Bockshorn.

Trigonella Fœnugræcum Botan. Trigonella leguminibus sessilibus strictis erectiusculis subfalcatis acuminatis Lin. Planta annua papilionacea, in Europa meridionali spontanea, apud nos in agris culta.

Pars usualis. *Semina* siliquis corniformibus inclusa, granulata, angulosa, dura, flava, odoris & saporis ingrati, mucilagine scatentia.

Ingrediuntur emplastrum de mucilaginibus & meliloto, species emollientes.

Vires emollientes. Usus mere externus ad cataplasmata, fomentationes siccas; Hippiatris frequentior.

Formicæ, Ameisen.

Insecta hymenoptera parva, ferruginei coloris; omnibus probe nota. Odorem, si teruntur, acidum spargunt, quod manifeste continent.

Præparatum. *Spiritus formicarum*, abstractus e formicis majoribus recentibus, cum triplo spiritus vini rectificati digestis.

Usus. Externus in paralysi qua remedium stimulans & penetrans inungitur, melioribus facile substituendis.

Monogr. J. Willde liber singul. de Formica. Amb. 1615.
Lochneri Myrmecologia in Act. Nat. Curios.
J. A. Schmidt de republica Formic. Jen. 1684.
P. G. Sperling de chem. Form. analysi Vit. 1689.
B. Ewaldt de Formicar. usu in medic. Reg. 1702.
L. Roberg de Formicar. natura. Ups. 1719.
J. Afzelius de acido Formicar. Ups. 1777.

Fumaria *Offic.*

Erdrauch.

Fumaria officinalis Botan. Fumaria pericarpiis monospermis racemosis, caule diffuso Lin. Plantula annua in agris nostris & in hortis inter olera frequens.

Pars usualis. *Herba*, mense Junio & Julio, dum floret, colligenda; foliis alternatim bipinnatis, foliolis trilobatis, angustatis, subrotundis, lanceolatis, mollibus, tenerrimis, ex languide cæruleo viridescentibus, odoris mucidi, gravis,

saporis amari, paulisper acris. Multo sale nitroso scatet.

Præparata. *Conserva Fumariæ* ex herba recenti cum triplo sacchari. Extractum Fumariæ ex succo inspissato. Syrupus Fumariæ ex infuso herbæ siccatæ cum duplo sacchari edulcorato, qui etiam ingreditur electuarium antifebrile.

Vires roborantes, resolventes, in obstructionibus viscerum abdominalium, ictero &c. vulgo & cum fructu adhibitæ, a Galeno jam laudatæ.

Dosis. *Herba* pro infuso ad unciam semis vel integram in libra aquæ. Succi recente, pressi unciæ duæ vel tres, cum sero lactis, aut aliis succis antiscorbutitis. Extractum a scrupulo uno ad drachmam unam & ultra, forma mixturæ, electuarii, pillularum. Conserva ad semiunciam aliquoties.

Monogr. Rud. Jac. Camerarius de Fumaria. Tub. 1716.
J. H. Ummius de herba Fumaria. Gron. 1723.
J. Lud. Roussy de Fumaria vulgari. Arg. 1749.

Fungus melitensis *Offic.*

Hundsruthe.

Cynomorium coccineum Botan. Planta parasitica super arboribus Pistacia Lentisco, aliisque in Mauritania, Maltha, Sicilia, Italia deprehendenda. Nequaquam fungus.

Pars usualis. Planta integra aphylla, quæ est unicum Amentum, imbricatum, erectum,

undique tectum flosculis, succo rubro amaro scatens, odoris expers, saporis salso amaricantis, adstringentis. Pro usu medico exsiccatur.

Vires adstringentes, in scorbuto, dysenteria & in profluviis sanguinolentis anno 1697 a Bocconio primo dein, & a Murayo laudatæ.

Dosis in pulvere drachma una, ex vino aut jusculo interne. Externe ad gingivas laxas, hæmorrhagias validas; præcipue si recens planta haberi potest.

Monogr. Car. a Liné de fungo meltiensi. Ups. 1755.

Galanga *Offic.*

Galgant.

Maranta Galanga Botan. Alpinia Galanga Wilden. racemo terminali laxo, floribus alternis, nectarii labio emarginato, foliis lanceolatis. Planta perennis, cum majori radice in Java & Malabaria, cum radice minori in regno Sinensi occurrens, radicis segmentis propagata.

Pars usualis. *Radix* olim duplex, major & minor, sed ex eadem specie proveniens hodie tantum posterior, ob majorem efficaciam præferenda. Tuberosa est, nodosa, dura, digitum crassa, annulata; præsto est in particulas pollicem circiter longas vel minores transversim secta, extus spadiceo rubra, intus rubella, saporis fervidi, acris, subamari, constringentis, odoris fragrantis. Eligatur non cariosa. $\frac{1}{130}$ olei ætheri insidet.

Vires stimulantes, tonicæ, stomachicæ.

Dosis in pulvere a granis decem ad viginti. Sed ob aroma calidissimum raro in pulvere interne exhibetur, nisi electuariis illum inmiscendo. In paralysi linguæ forma pulveris sub lingua adplicari potest. In tincturis aut vinis medicatis drachma una vel altera infunditur.

Ingreditur theriacam diatesseron & tincturam aromaticam acidam.

Galbanum *Offic.*

Galbangummi.

Bubon Galbanum Botan. Bubon foliolis ovato cuneiformibus acutis argute serratis, umbelis paucis, seminibus glabris, caule frutescente glauco Lin. Frutex in Arabia, Persia, Aethiopia, Mauritania, Capite bonæ spei habitans.

Pars usualis. *Gummiresina*, quæ ex fruticis hujus nodis vel sponte, vel incisione vulneratis forma lactei succi guttatim stillat, solis ardore condensati & concreti, Galbanum officinis dicti. Advehitur ex Turcia in massis majoribus, ex frustulis siccis flavescentibus vel rufescentibus & albis nitidis aggregatis, quæ facile diffringi possunt, seminibus ac glumis admixtis, consistentiæ tenacis cereæ, calore mollescentis, frigore indurescentis, odoris gravis ingrati, saporis calidi, amaricantis, acris. Optimum est granulosum, semipellucidum, sed difficillimum comparatu. Vulgare in officinis depuratur, cum aceto coquitur, colatur,

evaporatur. Non tamen perfecte in aceto solvitur, sed tantum emollitur. Neque in alcohole, neque in aqua, cui lactescentem impertitur colorem, penitus solubile est.

Præparatum. *Emplastrum de Galbano crocatum*, quod ob pluralitatem ingredientium in capite de compositionibus occurret.

Ingreditur præterea emplastrum diachylon cum gummi & oxycroceum, atque spiritum balsamicum.

Vires gummi ammoniaco analogæ, sed fortiores. Interne stimulantes, antispasmodicæ, resolventes, in viscerum obstructionibus, spasmis, hysteria, morbis pectoris spasmodicis, & mensium subpressione e simili causa laudatæ. Externe resolventes, stimulantes, maturantes.

Dosis a granis decem ad viginti pro semel, forma pillularis optima. Externe pulvis ad ossa cariosa. Emplastrum ad resolvendos aut maturandos furunculos, bubones aliosque tumores.

Gentiana *Offic.*

Enzian.

Gentiana pannonica Botan. Gentiana corollis subsexfidis campanulatis punctatissimis verticillatis, calycibus coriaceis truncatis Willden.

Planta perennis in alpibus Pyrenæis, Tyrolis, Bavariæ, Carinthiæ, Styriæ, Austriæ & Bohemiæ habitans. Testante Dioscoride a Gentio Rege Illyrico inventa & denominata.

Pars usualis. *Radix* longa, digitum raro crassa, multifida, tenax, extus rugosa, fusca, intus spongiosa, ex flavo rubescens, saporis intense amari. Præstantissima inter amara, ut vix aliud quam Quassia cum ea comparari possit. Vires medicatas amaras tam aquæ quam vino & ejus spiritui communicat.

Præparatum. *Extractum Gentianæ* ex decocto aquoso inspissato. Tinctura in nonnullis officinis.

Ingreditur theriacam diatesseron, tincturam absinthii compositam & stomachicam.

Vires roborantes, stomachicæ, anthelminticæ; antifebriles, & Boerhaavio testante, ante corticis peruviani inventionem, ad febres quartanas expugnandas usitatissimæ. Laudabiles præterea specialius in primarum viarum laxitate, cachexia, leucophlegmatia, hydrope a debilitate &c. In majori quantitate more aliorum amaricantium alvum movet.

Dosis in pulvere a granis decem ad viginti & ultra. In infuso drachmæ duæ. Extractum a granis decem ad triginta in die, forma pillulari.

Monogr. J. H. Slevogt de Gentiana. Jen. 1720.
P. J. Hartmann Historia Gentianæ. Frf. 1777. r. Siemerling.

Geoffroya *Offic.*

Wurmrindenbaum.

Geoffroya inermis Botan. Arbor in Jamaica sponte crescens. Jacq.

Pars usualis. *Cortex* crassus, fibrosus, fragilis, coloris mox cinerei, mox subferruginei, mox maculati ex utroque, odoris ingrati, nauseosi, saporis mucilaginosi, subdulcis cum levi amaritie.

Vires venenatæ; drasticæ, emeticæ, in majori dosi narcoticæ, lumbricos necantes, quo scopo apud Barbaros magnum in usum venit. Easdem vires exserit cortex Geoffroyæ surinamensis, qui 1770 innotuit.

Dosis incipiendo a minima eousque augetur, donec nauseam causet. Infantibus a quinque ad decem grana, pueris ad viginti, adultis ad triginta porrigi potest. Melius in decocto præscribitur; uncia scilicet semis in libra aquæ ad remanentiam unciarum quatuor coquitur, cujus decocti grate rubroflavi cochleare unum vel alterum jejuno ventriculo exhibetur. Idem decoctum in clismate contra ascarides.

Monogr. N. Bondt de cortico Geoffræa surinamensi. L. B. 1788.

J. G. Klingsöhr de Geoffræa. Erl. 1789.

J. D. Eggert Geoffræa. surinam. virtus anthelm. observ. probata. Marb. 1791.

A. J. Schwartze observ. de virt. Cort. Geoffr. Surinam. contra tæniam. Got. 1792.

Gramen *Offic.*

Graswurzel. Quecken.

Triticum repens Botan. Triticum calycibus quadrifloris subulatis acuminatis, foliis planis Lin. Planta perennis in agris, ruderatis & pratis vulgatissima.

Pars usualis. *Radix* verno vel autumnali tempore colligenda, subramosa, culmum frumenti crassitie æquans, longissima, horizontaliter se dispergens, geniculata, glabra, ex flavo alba, saporis subdulcis, qui coctione evanescit.

Præparatum. *Extractum Graminis liquidum* ex decocto radicis aquoso inspissato.

Vires nutrientes, saponaceæ, resolventes; leniter urinam pellentes, prouti jam a Plinio observatum. Majorem, quam meretur, hujus radicis usum Medici faciunt in febribus acutis omnis generis, in cachexiis & viscerum obstructionibus.

Dosis ab uncia una ad duas, per quadrantem vel per dimidiam horam decoctis in libra aquæ. Protractior ad empyreuma coctio, fortisque colaturæ expressio, resolventes decocti vires exaltat, visceribus obstructis reserandis aptiores reddit. Succus recenter expressus ab unciis duabus ad tres, per se, vel cum sero lactis. Extractum facile ad semiunciam in vehiculo liquido.

Monogr. J. Pfautzii descriptio Graminis med. plenior. Ulm. 1656.

J. A. Kniphof de Gramine Levidensi præcellentis. Erf. 1747.

Gratiola *Offic.*

Wildaurin.

Gratiola officinalis Botan. Gratiola foliis lanceolatis serratis, floribus pedunculatis Lin. Planta perennis in humidis Germaniæ, Austriæ regionibus crescens, etiam Galliæ, Italiæ incola.

Partes usuales. *Herba* foliis oblongis, lanceolatis, sessilibus, serratis, nervosis, glabris; læte viridibus, saporis admodum amari, acris, nauseosi absque odore. Radix cylindrica, calamum crassa, geniculata, alba, horizontalis fibris descendentibus, intense amara cum adstrictionis sensu, odoris nullius, efficacior quam herba. Spiritus vini & aqua vires medicatas extrahunt, optime autem vinum.

Præparatum. *Extractum Gratiolæ* ex decocto herbæ aquoso inspissato.

Vires venenatæ, drasticæ, vomitum cientes, minima dosi potenter resolventes, alterantes, anthelminticæ. In scirrhis & tumoribus induratis, in obstructionibus viscerum post diuturnas intermittentes, in hydrope & tympanitide ex simili causa, atque in mania specialius commendatæ.

Dosis. Herba in pulvere a granis decem ad drachmam semis purgat & vomitum causat. Drachma una ejusdem aqua vel vino infusa virtute resolvente gaudet, & vermes necante. Scopo tamen resolvente optime in extracto adhibetur, a granis duobus bis de die adscendendo pededentim ad scrupulum unum, nisi valide purgaret. Optima forma in pillulis. Radix in magno usu non est.

Monogr. J. J. Bürckel de Gratiola, Arg. 1738.
J. Kostrzewski de Gratiola, Vien 1775.
Zobel de Gratiola, ejusq. usu chirurg. Erl. 1782.
C. B. Sommer de virtute & vi medica Gratiolæ offic. Reg. 1796.
G. F. de la Vigne Diss. de Gratiola offic. ejusq. usu in morbis cutan.? Erl. 1799.

Guajacum, Lignum sanctum *Offic.*

Franzosenholz.

Guajacum officinale Botan. Guajacum foliolis bijugis obtusis Lin. Arbor americana in Jamaica, Domingo, Hispaniola, Barbados, Brasilia, aliisque regionibus Americæ meridionalis & pluribus insulis Indiæ occidentalis spontanea.

Partes usuales. *Lignum* integrum unacum cortice, compactum, ponderosum, resinosum, coloris obscurioris, cortice vestitum - lineam crasso, extus scabro, maculato, intus griseo, resinoso, saporis subacris & amaricantis, odoris nullius, nisi flamma concepta. Ex patria in maximis frustis advehitur, comminutum in officinis sub nomine rasuræ ligni Guajaci prostat.

Multum resinæ continet, quæ vero adeo arcte cum gummi copulatur, ut spirituoso & aquoso menstruo eruatur. In arboribus ætate provectioribus per corticem sponte, vel vulneratione exsudat Gummi resina Guajaci nativa dicta, in magnis frustis nobis advecta, sæpe fragmentis corticis unitis, fragilis, friabilis, diffracta nitens & semipellucida, coloris extus fusci, intus viridescentis, interspersis diversi coloris granis, inter digitos non lentescens, igne modica fundenda subgrato odore disperso, pulverisata pulverem exhibens album, tempore viridescentem, saporis amaricantis, acris, fauces exurentis & exsiccantis. Lucri causa colophonio adulterata obvenit, aut & resina Guajaci factitia illi substituitur, spiritu vini e ligno extracta, & tincturæ evaporatione

obtenta, saporis minus acris, sed amarioris. Anno 1517 pharmacon hoc in Germania innotuit.

Præparata. *Species decocti lignorum* ex ligno guajaco cum anatica parte juniperi & dimidia radicis bardanæ & sarsaparillæ. Tinctura lignorum ex anatica ligni sancti, sassafras, santalirubri & juniperi partibus in spiritu vini rectificato digestis. Extractum ligni Guajaci ex decocto aquoso inspissato. Tinctura Guajaci cum Taphia ex gummiresina Guajaci in 24 partibus spiritus sacchari digesta, ab Emerigone inventa.

Vires ligni stimulantes, potenter resolventes, penetrantes, diaphoreticæ, in morbis cutaneis e debilitate variis, rheumatismo chronico, arthritide & in morbis partium a malo venereo debilitatarum specialius commendabiles. Resina easdem vires, ast majori intensione possidet.

Dosis. *Ligni* uncia semis vel integra coquitur cum aquæ libra per horam & plures, ut resinosa pars cum gummosa vi ignis exactius misceatur. Sunt qui salis tartari pauxillum, non inepte, addunt. Idem de speciebus decocti lignorum intelligendum est. Resina a granis quinque ad decem, bis in die exhiberi potest, forma vel pulveris, vel pillulari. Extractum in majori paulo dosi, quam resina. Tinctura Guajaci cum taphia ad cochleare unum bis de die ex vasculo Juris aut potus theati propinatur, viridem potus turbulentiam causans, proinde cito ebibenda, antequam resina præcipitetur. Si faucium ariditatem & pruritum causat, qui frequens Guajaci ad-

sumti effectus est, decoctum mucilaginosum superbibendum erit. Tincturæ lignorum drachma una vel duæ pro dosi, ex vehiculo aquoso, aut ex eorumdem lignorum decocto.

Monogr. J. Arn. Friderici de Guajaco. Jen. 1665.
Schrot de medicata Guajaci virtute L. B. 1719.
Consalvi Ferrandi tract. de ligno sancto.
Alph. Ferri & Dem. Canevarii tract. de ligno Guaj.
Chr. G. Gruner de Specifico antipodagrico americano. Jen. 1778.
J. Fr. Ackermann de Guajaco. Kil. 1782.

Gummi arabicum vide Acacia vera.

Gummi Gutta *Offic.*

Gummigutt.

Cambogia Gutta Botan. Guttæfera vera König. Arbor mediocris staturæ, in regno Siamensi, Malabaria & Zeilona crescens.

Pars usualis. *Succus gummoso resinosus* ex truncis incisione vulneratis guttatim stillans, flavescens, cremoraceus, calore solari siccatus; tuncque Gumi guttæ dictus. Adfertur placentarum vel frustorum cylindricorum forma, sabulo sæpius & aliis quisquiliis contaminatorum, friabilium, fracturæ nitentis, coloris ex flavo rufi, sub humectatione pallidioris, odoris nullius, saporis acris cum siccitatis sensu. Ob partes gummosas resinosis arctissime junctas, in spiritu vini æque

ac in aqua flavo colore solvitur; sed optimum menstruum est alcali liquidum, quæ solutio dein saponnacea fere evadit, ac sanguineum colorem induit. Anno 1603 Clusio primo ex India missum pro tentamine fuit.

Vires venenatæ, drasticæ, purgantes cum vomitu & torminibus. Contra vermes & tæniam, male in hydrope commendantur. Deleterias vires enumerat Trillerus. Relinguatur pictoribus hocce gummi.

Dosis moderata & repetita optima testante Cullenio. A granis duobus ad decem forma pillulari cum extractis.

Monogr. Latichii Discurs. de Gummi Gutta, laxativo Indico.
Castelii tract. de Gutta Gambodia.
Chr. Jaeger & Gaupp de Cambogiæ Guttæ succo. Tub. 1777.

Hedera terrestris *Offic.*

Gundelreben. Gundermann.

Glecoma hederacea Botan. Glechoma foliis reniformibus crenatis Lin. Planta perennis ad sepes, ad vias & in dumetis copiosa.

Pars usualis. *Herba* mense Majo vel Junio colligenda, foliis cordato reniformibus, crenatis, glabris, petiolatis, obscure viridibus, odoris dum fricantur balsamici, saporis amariusculi.

Præparatum. *Conserva Hederæ terrestris* ex foliis recentibus cum duplo sacchari,

Ingreditur electuarium pectorale, species pro Theé.

Vires leniter roborantes, resolventes, in phthisi, hæmoptysi, mictu Cruento & exulcerationibus internis qua balsamicæ nimis commendatæ.

Dosis in infuso unica semis vel integra, succi expressi uncia una & plures. Conservæ uncia semis sæpius in die.

Monogr. Ol. Rudbeck de Hedera. Ups. 1707. r. Ludenius.
Ch. Andr. Heder de Hedera terrestri. Alt. 1736.
Ch. B. Bender Glecoma heder. egreg. in atroph. remed. Erl. 1787.

Helleborus niger *Offic.*

Schwarze Niesswurzel.

Helleborus Niger Botan. Helleborus scapo subbifloro subnudo, foliis pedatis Lin. Planta perennis in montibus Austriæ, Stiriæ, Helvetiæ, Silesiæ, Apenninis & Pyrenæis crescens.

Pars usualis. *Radix*, ex tubere subgloboso nucem moschatam crasso, nigro & sulcato, dimittens ramos breves, articulatos, ex quibus germinant copiosæ fibrillæ carnosæ, cylindricæ, tenues, nonnihil tenaces, exsicatione rugosæ & fragiles evadentes, extus e fusco griseæ, intus e flavo albidæ, odoris nauseosi & acris, saporis amaricantis, acris, nauseosi, sensum caloris stuporisque in lingua excitantis. Hæ fibrillæ libentius in usum medicum trahuntur, quam tuber, quod vix adhibe-

t ur. Commutatur sæpe radix hellebori nigri, vel adulteratur cum radice adonidis vernalis, odore fortiori & sapore subdulci distinguenda. Imo plures aliæ radices loco hellebori nigri divenduntur, præcipue radix Hellebori viridis & fætidi, Trollii Europæi, Astranciæ majoris & Actææ spicatæ, ad quas commutationes & adulterationes evitandas Pharmacopolæ adtenti sint opportet.

Præparatum. *Extractum Hellebori nigri* ex decocto radicis aquoso inspissato.

Ingreditur extractum catholicum, pillulas purgantes drasticas.

Vires drasticæ, purgantes cum irritamento, in mania, vermibus & hydrope, in ipsa quoque epilepsia multum quondam usitatæ; externe ptarmicæ.

Dosis. Vix unquam hodie pulveris forma exhibetur, qui tamen a quinque usque ad decem & plura grana dari posset. Antiquiores drachmas duas, vel & unciam semis in infusis & vinis medicatis præscripserunt. Communis exhibendi modus hodie est in extracto, quod a granis duobus ad decem & ultra propinatur in die.

Monogr. Agathini liber de Helleboro.
G. D. Metzger Elleborus niger med. delineat. Tub. 1684.
J. H. Schulz de Elleborismis veterum. Hal. 1717
L. Woleb de Helleboro nigro. Bas. 1721.
G. C. Bachov de Helleb. nigro. Alt. 1733.
A. E. Buchner de salutari & nox. Elleb. usu. Hal. 1751
P. Chr. Linke Epist. de Helleb. viribus in fluore albo serv. 1775.
Chr. G. Franz virtus Helleb. nigri Hydragogi hydragoga. Frf. 1787.

Hordeum *Offic.*

Gerste.

Hordeum vulgare & distichon Botan. Gramen annuum ignotæ patriæ; frumentum omnibus notum, in agris nostris cultum.

Pars usualis *Semina*, pro usu oeconomico communissima, tum cruda, tum perlata. Cruda pro usu medico mundentur.

Vires nutrientes, obvolventes, in decocto cum acidis vegetabilibus & melle (sub nomine Ptisanæ) refrigerantes, æstum sitimque sthenicam temperantes. Idem decoctum pro clismatibus, gargarismatibus, injectionibus emollientibus, detergentibus, maximo in usu.

Dosis uncia una & ultra pro decocto libræ unius, coctione ad granorum crepaturam continuata.

Semina hordei crudi, aqua emollita, & germine utrinque protruso subfermentata, siccata *maltum* sistunt; cujus unciæ quatuor in libra aquæ per quatuor horas digestæ, musti hordei nomine in scrobuto egregios effectus exserunt, libris tribus, quatuor & ultra de die potatis. Vide H. Collin Ann. med. cont. Macbride.

Hyoscyamus *Offic.*

Bilsenkraut,

Hyoscyamus niger Botan. Hyoscyamus foliis amplexicaulibus sinuatis, floribus sessilibus

Lin. Planta biennis ad vias, in cæmeteriis & sepetis vulgatissima.

Pars usualis. *Herba*, mense Majo ante florescentiam colligenda, caute siccanda & servanda, foliis amplexicaulibus, oblongis, latis, acuminatis, ample sinuatis, crassis, mollibus, pilosis, e cinereo dilute viridibus, odoris virosi, saporis amaricantis salini, nauseosi. Semina parva, reniformia, pallida, saporis oleosi, mense Septembri maturescentia.

Præparata. *Extractum Hyoscyami*, foliorum ex succo inspissato. *Oleum Seminum Hyoscyami* pressum. *Emplastrum de Hyoscyamo*, simili modo ac illud de cicuta paratum.

Vires venenatæ; stupefacientes, narcoticæ, sub caloris naturalis imminutione insaniam, cum hæmmorrhagiis sæpe inducentes. Hinc merito planta inter medicamina infida reponitur. Semina in exigua dosi exhibita effectus funestissimos, deliria, sapores, maniam, convulsiones lethales interdum causarunt. Antidotum post emesin in alcalescentibus, sinapi, allio, cepa deprehensum. Attamen in minima & cauta dosi egregiæ quoque medicantes vires latent, antispasmodicæ, potentissime resolventes, certo respectu anodynæ, ab antiquis & recentioribus medicis in morbis convulsivis, epilepsia, tetano, & aliis nervosis, in mania, doloribus rheumaticis & arthriticis laudatæ. Post 12 circiter horas, effectus medicaminis hujus evanescunt.

Dosis. *Extractum* incipiendo a grano semis; adscendendo sensim ad decem in die, & ul-

tra. Oleum locis dolentibus illinitur, ubi emolliendum & relaxandum. Folia recentia cum mica panis & lacte forma cataplasmatis in tumoribus dolentibus, induratis, scopo emolliente, anodyno, resolvente adplicantur. Eodem scopo emplastrum.

Monogr. Ant. L. B. Stoerk libellus de Hyosciamo. Vien. 1762.

G. H. Stockar de Neuforn Diss. de Hyosciami nigri virt. medic. Erl. 1797.

Hypericum *Offic.*

Johanneskraut.

Hypericum perforatum Botan. Hypericum floribus tryginis, caule ancipiti, foliis obtusis pellucido punctatis Lin. Planta perennis in pratis & pascuis frequens.

Pars usualis. *Flores* mense Junio & Julio colligendi, petalis 5 oblongo ovatis, obtusis, saturate luteis, atro rubre punctatis, cum pedunculis & calycibus quinquefidis; saporis balsamicis, amaricantis, subadstringentis, odoris debilissimi. Materia gummiresinosa colorante, rubicunda, præcipue dum recentes sunt, turgent.

Vires subadstringentes, externe vulnerariæ; in consolidandis ulceribus & ambustionibus; olei infusi aut balsami traumatici forma a plebe vulgo usitatæ. Quondam antimagicæ creditæ.

Monogr. J. P. Eysel de Fuga Dæmonum. Erf. 1714.

G. W. Wedel de Hyperico, alias fuga Dæmonum. Jen. 1716.

Car. a Linné de Hyperico. Ups. 1776.

Hypocistis *Offic.*

Hypocisten.

Cytinus Hypocistis Botan. Planta parasitica aphylla, in insula Creta atque in Gallia Narbonensi & Provincia copiose crescens, ex qua tota abscissa & contusa Succus exprimitur & condensatur, subresinosus, austerus, nullius odoris, saporis acidi, adstringentis, coloris nigrescentis splendidi.

Vires adstringentes. Usus facile superfluus; quondam ad numerum Theriacæ ingredientium augendum destinatus.

Hyssopus *Offic.*

Isop.

Hyssopus officinalis Botan. Hyssopus floribus verticillatis racemosis secundis, lacinia corollæ intermedia biloba integerrima, foliis lanceolatis Willden. Planta perennis suffruticosa, in Austriæ, Saxoniæ Subalpinis & Sibiria sponte crescens, in hortis ubique culta.

Pars usualis. *Herba*, folia scilicet cum floribus ante horum expansionem colligenda; lanceolata, angustata, integerrima, nervosa, glabra, laete viridia, odoris fragrantis, saporis amari aromatici. Ex libris 16 recentis herbæ uncia una olei stillatitii obtenta fuit.

Præparata. *Aqua Hyssopi destillata* fragrantiam herbæ recipiens. Syrupus Hys-

sopi ex infuso foliorum cum duplo Sacchari edulcorato.

Ingreditur aquam vulnerariam utramque, atque electuarium pectorale.

Vires stimulantes, resolventes, incidentes, specialius in morbis pectoris asthenicis, atque externe in sugillationibus discutiendis commendatæ.

Dosis. Uncia semis pro libra infusi. Aquæ destillatæ unciæ quatuor vel sex.

Jalapa *Offic.*

Jalape.

Convolvulus Jalapa Botan. Convolvulus caule volubili, foliis ovatis subcordatis obtusis, obsolete repandis subtus villosis, pedunculis unifloris Willden. Planta perennis in Mexico, inprimis in vera cruce habitans.

Pars usualis, *Radix* non integra nobis advecta, in orbiculos, vel in duas partes longitudinaliter secta, lenique tostione siccata, solida, ponderosa, resinosa, extus rugosa, nigricantis, intus grisei coloris, saporis acris, resinosi, nauseosi, subaciduli, odoris debilis, ingrati. Pulverata colore ex flavo griseo comparet. Frusta ponderosa, crassa, prompte inflammabilia optima, vix non quartam partem resinæ continentia. Fraus cum hac radice duplex occurrit, vel radice bryoniæ adulteratur, quod colore pallidiori & textura spongiosa dignoscitur; vel talis divenditur, quæ post resinæ multam extractionem denuo siccata est, quod

tentamine cum spiritu vini agnoscitur. Circa Annum 1610 radix hæc ex novæ Hispaniæ oppido Jalapa in Europam primo adlata fuit.

Præparata, *Resina Jalapæ*, digestione radicis in spiritu vini, colatione, evaporatione atque præcipitatione ex aqua frigida obtenta. Extus sit profunde cinerea, nonnihil flavescens, sicca, rimosa, intus nigrescens & nitida, valde fragilis, in aëre non humescens, in alcohole vini penitus & facillime solubilis. Colophonio adulterata terebinthinam redolet. Anno 1634 usus ejus Lipsiæ jam innotuit. Sapo antimonialis cum resina Jalapæ vide Antimonium.

Ingreditur electuarium purgans & contra vermes, atque pillulas purgantes drasticas.

Vires anthelminticæ, cum irritamento purgantes, sæpe vomitum cientes, ad eliminanda primarum viarum heterogenea, absente inflammatione & magna irritabilitate, adeoque etiam in hydrope cum magna intestinorum inertia &c. egregiæ; dummodo ex debilitate per dejectiones exoriunda nullum detrimentum.

Dosis radicis in pulvere incerta, ob diversam resinæ contentæ copiam. Communiter infantibus a granis quinque ad decem, adultis a viginti ad quadraginta, vel per se, vel cum aliis, præcipue salinis. Resinæ vires efficaciores & certiores, infantibus a grano uno ad tria, adultis nunquam ultra grana quindecim, cum saccharo, amygdalis aut aliis inviscantibus, ne spasmos & tormina vehementia causet. Sunt tamen, qui illam & spi-

ritu vini solutam exhibent, addito syrupo antispastico.

Monogr. Paulini tract. de Jalapa.
J. W. Wedel de Gialappa. Jen. 1678.
A. E. Buchner de damnis ex abusu res. Jalap. 1750.
P. B. Schaller de Jalappa. Arg. 1761.

Ichtyocolla.

Hausenblase, Fischleim.

Ancipenser sturio & stellatus Lin. atque plures alii hujus generis pisces excoquendam ex intestinis, ventriculo, vesicis, cute, caude & pinnis mucilaginem possident, quæ collam piscium sive ichtiocollam sistit. Genuina paratur ex ancipenserum vesica natatoria, quæ ablata membrana exteriori recens in aqua maceratur, convolvitur, in spiras cogitur, comprimitur & exsiccatur. Optima est moscovitica, ponderosa, frustis siccis, albis, subdiaphanis divendita, odoris expers. In aqua & spiritu vini dissolvitur.

Vires gelatinosæ, nutrientes, involventes, in diarrhæis, dysenteriis, gelatinæ forma non spernendæ. Usus quoque magnus ad decocta clarificanda, in quibus inutile sedimentum.

Præparatum. *Emplastrum anglicanum* sive *adhæsivum* aut *glutinosum*, ex mucilagine ichtyocolæ in spiritu vini soluta serico nigro aliquoties illinita.

Monogr. Fabricius de Ichtyocolla. Helmst. 1756.
r. Stolze.

Imperatoria *Offic.*

Meisterwurzel.

Imperatoria Ostruthium Botan. Planta perennis in montibus Italiæ, Helvetiæ, Silesiæ, Stiriæ; Austriæ sponte crescens; in hortis quandoque culta, ast minorum virium.

Pars usualis. *Radix* teres, oblonga, nodosa, pollicem crassa, annulata, geniculata, fibrata, foris crisea nigrescens, intus albida, saporis calidi, pungentis, penetrantis, aromatici, odoris validi, fragrantis, Angelicæ similis. Primo vere aut sero autumno effodienda, nam æstate inefficax est.

Vires stimulantes, sudoriferæ, incidentes, nervinæ, excitantes, antispasticæ, Angelicæ analogæ. Externe pulvis ulceribus inspersus eadem repurgat, & radix masticata ad linguæ paralysin a nonnullis adhibebatur.

Dosis prouti Angelicæ. In pulvere a granis decem ad viginti; in infuso drachmæ duæ aut quatuor. Infusio vinosa, spirituosa prævalet.

Ingreditur. Spiritum balsamicum.

Ipecacuanha *Offic.*

Brechwurzel.

Psychotria emetica Botan. Psychotria herbacea procumbens, foliis lanceolatis glabris, stipulis extrafoliaceis subulatis, capitulis axillaribus pe-

dunculatis paucifloris Lin. Planta perennis sub temperi e calidissima Americæ septentrionalis provinciæ Gironensis habitans.

(Plures quidem plantæ radices emeticas largiuntur, quemadmodum Viola ipecacuanha, Euphorbia ipecacuanha Lin. & Cynanchum ipecacuanha! Wilden: in India orientali habitans, atque exinde etiam diversitates harum radicum in officinis occurrentium veniunt, griseæ scilicet, albæ & fuscæ brasiliensis. Grisea autem ex Psychotria emetica veniens, efficacissima est, & maximum in usum trahitur).

Pars usualis. *Radix*, calamum majorem minoremve crassa, digitum circiter longa, dura, varie inflexa, aspera, annulis incisurisque profundis notata, extus cinerea, intus ex albo flavescens, nucleo ligneo albo vel flavo percussa, a cortice facile secernendo. Odor fere nullus vel mucidus, sapor partis corticalis amaricans & subacris, nuclei vero lignosi mucilaginosus. Optima est tenax, solida, a fibris liberata, diffracta resinosis particulis splendens. Adulterata quandoque deprehenditur radice Apocini cujusdam speciei, quæ nucleo rubro se distinguit. Vires in cortice latent, qui rejectis fibris & nucleo præstantissimum pulverem sistit, grisei coloris, naribus autem, oculis & pulmonibus sub contusione infensum. Diu adservatus, viribus orbatur. Infusione, coctione quoque radicis, vires emeticæ multum perduntur.

Usus hujus radicis a seculo XVII. innotuit, anno 1649 a Guil. Pisone & Adr. Helvetio

vix non omnium primis & præcipue commendatus, a G. W. Wedelio maxime divulgatus.

Præparatum. *Pulvis Doveri* sive *ipecacuanhæ cum opio*, ex parte una opii, duabus ipecacuanhæ & septem sacchari paratus. In granis ergo decem granum unum opii latet.

Vires in plena dosi emeticæ, quandoque emetocatharticæ; in refracta dosi alterantes, sudoriferæ, resolventes, totum systema in minima fibra concutientes. Priori scopo ad evacuationem heterogeneorum e ventriculo, atque ad ciendum vomitum vario intuitu exhibetur. Posteriori in morbis mucosis, frigidis, in diarrhæa habituali ad motum peristalticum invertendum, in dysenteria absque inflammatione, in hæmorrhagia uteri ex debilitate, in tussi convulsiva & aliis nervosis malis, præcipue cum opio juncta.

Dosis in pulvere alcoholisato, scopo emetico pro varia ætate, irritabilitate ægri varia; infantibus a granis tribus ad quinque, adultis a scrupulo uno ad duos. Scopo alterante & resolvente ab una quarta parte grani, ad unum aut duo grana. Pulvis Doveri facile ad grana decem & ultra de die, nam opium & ipecacuanha reciproce vires suas infringunt.

Monogr. Leibnitii relatio de novo antidysenterico Americano. Hannov. 1696. (Rarus liber).

M. B. Valentini de Ipecacuanha, novo Gallorum antidysent. Giss. 1698.

G. W. Wedel de Ipecacuanha. Jen. 1705.

J. B. Fermelhuis an omni alvi fluxui radix Brasiliensis? Par. 1706.

Abr. Vater de Ipecac. virt. febrif. & antidysent. Vit. 1732.
J. H. Schulz de Ipecacuanha Americ. Hal. 1744.
A. E. Buchner de rad. Ipecac. Erf. 1745.
C. Gianella de admir. rad. Ipecac. virt. in curand. febribus &c. Par.
A. Westphal de limitand. laud. Ipecac. ad curand. Dysenter. Gryph. 1764.
Car. a Linné de Viola Ipecac. Ups. 1774.
C. A. Meyer de eximio Ipecac. &c. refracta dosi exhibit. usu. Gott. 1779.
Lassone und Cornette über die Eigensch. und Bestandth. der Ipec.

Iris florentina *Offic.*

Veilchenwurzel.

Iris florentina Botan. Iris barbata, foliis ensiformibus glabris brevioribus, scapo subbifloro Willden Planta perennis Europæ calidioris, in Italia, Græcia, Turcia frequens, & apud nos in Carinthia, plurimum culta in Florentia.

Pars usualis. *Radix*, tuberosa, nodosa, ponderosa, pulposa, cortice rubro & fibris ablatis siccata nobis adfertur in frustis oblongis, digitum crassis, ex albo flavis, punctis fuscis interspersis, saporis acris & subamari, odoris violacei. Facile in pulverem reducitur; & a vermibus consumitur, nisi bene servata. Cum radicibus varietatis vilioris adulteratur; quare odoratissima eligenda.

Ingreditur pulverem contra tussim, pulverem & electuarium dentifricium, atque balsamum Schauerianum.

Vires. Dum recens est radix, nauseam parit & cum vehementia purgat. Siccata leniter stimulat, incidit. Quare in morbis pituitosis pectoris & in muco infantum multum laudabatur. In pulvere ob suavem odorem pillulis conspergendis, atque in frustis infantibus dentientibus sub nisu masticationis vulgo — sed inepte — inservit. Aptius pulveribus dentifriciis inmiscetur. Externe in carie.

Dosis in pulvere a granis decem usque ad semidrachmam. Infantibus ad aliquot grana.

Monogr. Abr. Hoering de Iride. Alt. 1710.
J. H. Schulz de radice Iridis florent. Hal. 1739. r. Kortum?

Juglans *Offic.*

Wälscher Nufsbaum.

Juglans regia Botan. Juglans foliolis glabris subserratis subæqualibus Lin. Arbor ubivis culta.

Pars usualis. *Cortex viridis fructuum*, putamen scilicet carnosum nucem includens, crassum, extus læte viride, intus albicans, digitos fusco colore inquinans, saporis adstringentis; austeri, vitriolacei.

Præparata. *Roob nucum*, ex succo corticum viridium expresso, cum medietate mellis inspissato. Extractum corticum viridium nucum Juglandis ex succo inspissato.

Ingreditur celebre antisyphilitic um decoctum Pollini.

Vires adstringentes, anthelminticæ, externe laudabiles in ulceribus laxis, præcipue gingivarum & faucium, atque in angina frigida.

Dosis. Uncia una cum libra aquæ per tres horas infunditur, deinde per quadrantem coquitur, atque colatura in linteis carptis ad ulcera adplicatur. Roob ab uncia semis ad unam in gargarismatibus. Extractum interne ad plures scrupulos.

Monogr. J. Fr. Luppart de Juglande. Vien. 1777.
I. F. Fridrich das Pollinische Decoct. Wien. 1794.

Juniperus *Offic.*

Wachholder.

Juniperus communis Botan. Juniperus foliis ternis patentibus mucronatis bacca longioribus Lin. Frutex in sylvis nostris arenosis indigena.

Partes usuales. *Baccæ* globosæ carnosæ; infra tribus perianthii reliquiis obsoletis & supra tribus a petalis relictis exiguis dentibus notatæ, extus nigræ & glabræ, intus rufescentes & resinosæ, pulpa subviscida & tribus seminibus instructæ; odoris balsamici gravis, saporis amaricantis, cum dulcedine resinosi. Grandes, succosæ, ponderosæ, maturæ optimæ. Lignum trunci, ramorum majorum & radicis (quod ultimum præferendum) solidum, ponderosum, cortice cinereo cinctum, intus rubellum, odoris grati fragrantis, inprimis si comburitur, saporis aromatici, subacris, resinosi. Sandaraca, substantia resinosa inter corticem & lignum sæpe collecta, liquide exsu-

dans, dein concrescens in glebulas semipellucidas flavescentes, odoris grati, dum prunis inspergitur, saporis resinosi. Advehitur ex Africa, ubi ex arbore juniperi majoris colligitur, adhibeturque tum pro suffimigiis, tum a scriptoribus ad præcavendam attramenti in charta diffluentiam.

Præparata. *Aqua baccarum Juniperi* destillata. Oleum Juniperi baccarum destillatum, viridescens, fragrantissimum, subterebinthinaceum, ex 60 libris fere ad uncias septem obtentum. Roob Juniperi ex decocto baccarum cum quarta parte sacchari inspissato. Spiritus Juniperi ex tinctura baccarum abstractus. Unguentum Juniperi denique ex baccis recentibus contusis cum duplo butyri ad consumtionem humidi coctis & colatis.

Ingrediuntur baccæ pulverem fumalem, roob theriacam modernam & diatesseron, atque electuarium purgans, lignum vero species decocti lignorum & tincturam lignorum, oleum denique unguentum nervinum & de arthanita.

Vires totius plantæ stimulantes, specialius diureticæ, baccarum lenissime purgantes, propterea in hydrope frigido multum usitatæ; quondam antipestilentiales laudatæ.

Dosis. *Baccæ* in pulvere a granis triginta ad quadraginta, in decocto uncia semis pro libra aquæ, item in infuso vinoso. Roob ad unciam unam & plures in mixtura aut electuario. Aqua, oleum & spiritus, prouti aliorum stimulantium consimilia præparata. Lignum utplurimum ad suffimigia adhibetur, in morbis cutaneis & ve-

nereis a nonnullis pro interno usu ad unciam semis & unam in libra aquæ coquitur. Unguentum scopo carminativo.

Monogr. Benj. Scharff descriptio Juniperi curiosa.
A. O. Bang de Junipero. Hafn. 1708.
J. G. Wilhelm de Junipero. Arg. 1715.
J. C. Klein de Junipero. Alt. 1719.
Fr. D. Bruch de radicis frut. Junip. decocto. Arg. 1733.

Kino, Gummi Gamniense *Offic.*

Gambiensergummi.

Gummiresina ex Africa, ubi ad fluvium Gambia ex cortice arboris ignotæ inciso succi rubri forma copiose stillat, radiisque solaribus condensatur, nobis adlata in mafsis variæ magnitudinis, fragilibus, ex rubro nigris, opacis; fracturæ splendentis & sæpe cellulosæ, odoris nullius, saporis mucilaginosi, adstringentis, subdulcis. In pulverem profunde rubrum facile redigitur, in aqua & spiritu vini solvitur colore rubro, flamma vix accenditur, nec facile liquescit. Nec gummi, nec resina, sed ex principiis saponaceis & adstringentibus plurimum conflata substantia. Usus ejus primo a Fothergillio 1757 commendatus.

Vires adstringentes, interne in diarrhæis, profluviis variis aliis & hæmorrhagiis a debilitate, nec non in febribus intermittentibus; externe in vulneribus sanguinem fundentibus, in hæmorrhagiis post dentis evulsionem, atque in ulceribus scorbuticis, pluribus experimentis utiles deprehensæ.

Dosis interne in pulvere a granis decem ad triginta. Externe tincturæ forma adhibetur, quæ & interne ad semidrachmam & ultra propinari potest. Solutum in aqua calcis pro injectionibus ad fluorem album; in aqua destillata aut alio apto vehiculo pro clismatibus. Prostat apud nonnullos alumen Kinosatum, potentissime adstringens.

Monogr. C. A. Schenk Diss. sistens gummi Kino usum ejusq. virt. Marb. 1794.

Lac vaccinum.

Lac vaccinum in uberibus vaccæ secretum, atque emulgendo elicitum, multiplici scopo, tum diætetico, tum therapeutico in usum medicum trahitur. Ad nutriendos exhaustos debiles, cum mucilaginosis, uti granis sago aut oryzæ, cum decoctis roborantibus, cum aquis soteriis &c. pro varia indicatione jungitur. Ad involvenda venena deglutita, per se, vel cum oleosis aut mucillaginosis exhibetur. Varius quoque ejusdem usus in clismatibus, ubi vel emollire, vel relaxare, strictiones spasticas solvere, vermes adlicere scopus. Item ad cataplasmata, fomentationes, balnea, gargarismata, collutoria emollientia &c. Cremoris ad deligandas excoriationes a vesicantibus causatas, ulteriusque non irritandas frequens usus. Itidem, butyrum recens e cremore extractum ob vim laxantem, emollientem & lubricantem unguentis linimentisque parandis crebro inservit. Serum lactis, nutriente, saponacea, resolvente virtute donatum, interne cum succis resolventibus, cum

aquis soteriis, vel vinosum, acidulum tamarindinatum scopo diuretico, eccopotrico, solvente, vario exhibetur, externe quoque ad balnea resolventia, nutrientia adhibetur, aut ad fomentationes cum sapone.

Præparatum. Hujus seri sal essentialis sub nomine *Sacchari lactis* in officinis adservatur. In regionibus, ubi major quam consumitur lactis quantitas colligitur, in Helvetia, Lotharingia &c. saccharum hoc e sero dulci evaporatione & crystallisatione paratur; crystallos format parvas, subprismaticas fere, semipellucidas, coloris lactescentis, saporis subdulcis. Purissimum in quatuor partibus fervidæ, & in octo fere frigidæ aquæ solvitur, minime in alcohole. Sub igne leni liquescit, dein intumescit, carbone spongioso relicto. Rejiciatur illud, quod partibus oleosis, caseosis, aut sale communi, aut alumine vitiatum, colore flavescente, sapore alieno, reagentibusque mediis detegendum.

Vires sacchari lactis nutrientes, resolventes, in phthisi multum commendatæ.

Dosis in pulvere ac drachmam unam sæpius in die; uncia semis vel integra in libra decocti.

Monogr. J. A. Slevogt &
J. J. Fick de arthritidis remedio Saccharo lactis. Jen. 1713.
J. E. Trostius de Saccharo lactis. Giss. 1739.
M. L. Willyamoz de Sale lactis essentiali. L. B. 1756.

Plura de lacte in Diæteticis.

Lacca *Offic.*

Gummilack.

Croton lacciferum Botan. Ramnus Jujuba, Ficus religiosa & indica, aliæque fors arbores Indiæ orientalis & regni Siamensis, non sponte quidem, sed punctione insectorum (Coccus Lacca Lin) in superficie materiam quamdam pro concreto resinoso emittunt, cui per totam mafsam particulæ animales ex insectis inmixtæ sunt, quæ resinæ etiam colorem rubicundum communicant.

Tres species hujus Laccæ occurrunt. Lacca in baculis dicitur illa, quæ ramulis arborum, super quibus formatur, adhærens advehitur. Avulsa vero a ramulis, aut & emolitione aquosa ab illis separata, colore autem suo in patria jam paulisper orbata, Lacca in granis dicitur, pellucida, rubricunda, saporis resinosi, & odoris, si accenditur, non ingrati. A fæcibus liberata & fusa, Laccam in tabulis exhibet, pellucidam, flavo rubentem, fragmentis vitri antimonii similem.

Lacca in granulis proprie officinas intrat. Nec in oleis prefsis, nec in destillatis, nec in mucilaginibus solubilis; in spiritu autem vini, spiritu salis ammoniaci vinoso & oleo tartari per deliquium dissolvitur, solutionem rubram & fere mucilaginosam sistens. Usus hujus Laccæ technicus magnus, ad vernices, ceras sigillares, & tabulas electricas parandas. Itidem pictorio usui inservit, uti & tingendis coriis, lanis, gofsypiis, sericis.

Vires medicæ interne quidem adstringentes, leniter urinas pellentes, sed externum solummodo

in usum trahuntur. Nempe tinctura Laccae e parte una granorum in duodecim spiritus cochleariæ digesta, in exulcerationicus scorbuticis gingivarum, relaxatione uvulæ &c. cum melle rosarum aut aliis coindicatis nonnunquam præscribitur.

Ingreditur quoque pulverem dentifricium rubrum.

Monogr. D. Godofredi obs. in Act. phys. med. Vol. III.

Lactuca sylvestris *Offic.*

Wilder Lattig.

Lactuca virosa Botan. Lactuca foliis verticalibus carina aculeatis Lin. Planta perennis lactescens in totius fere Germaniæ incultis locis sponte crescens. Non confundatur cum Lactuca scariola.

Pars usualis. *Herba*, dum florescentia instat colligenda, foliis amplexicaulibus, alternis, oblongis, denticulatis, duris, rigidis, aculeatis, odoris nauseosi, narcotici, saporis amari, acerrimi.

Præparatum. *Extractum Lactucæ virosæ*, ex decocto herbæ exsiccatæ inspissato.

Vires in magna dosi venenatæ, subnarcoticæ. emeticæ, in moderata dosi potenter resolventes, diureticæ, alvum laxantes; quare in hydrope, ictero, in cahexia cum viscerum obstructionibus sumopere laudabiles.

Dosis in extracto a granis decem de die incipiendo, ad scrupulum unum, semidrachmam & ultra paulatim adscendendo, pillularum, electuarii, vel mixturæ forma.

Monogr. H. J. Collin Lactucæ Sylvestris contra hydropem vires. s. anni med. cont. p. VI. Vien. 1780.

Lapathum acutum *Offic.*

Grindwurzel.

Rumex acutus Botan. Rumex floribus hermaphroditis, valvulis dentatis graniferis, foliis cordato oblongis acuminatis Lin. Planta perennis totius Europæ, in locis humidis crescens. Non confundatur cum rumice obtusifolio, crispo aut aquatico.

Pars usualis. *Radix* longa, pollicem & ultra crassa, fusiformis, vel simplex vel ramosa, nonnihil fibrosa, externe fusca, interne flava, saporis amari constringentis, acris, odoris nullius. Masticata salivam croceam reddit instar rhei.

Vires leniter roborantes, purificantes olim dictæ, & in morbis cutaneis multum adhibitæ. Usus obsoletus.

Dosis uncia una ad libram decocti, quod nauseosum saporem adquirit, atque bardanæ decocto nequaquam præstantius est.

Lapis hæmatites.

Blutstein.

Oxydum ferri nativum argillaceum; minera ferri in Hispania, Suecia, Norvegia, Bohemia occurrens, dura, ponderosa, striata; ex fusco nigra, digitum inquinans, saporis adstringentis. Ad parandos flores salis ammoniaci martiales adhibetur.

Vires adstringentes, in profluviis a laxitate olim in usum tractæ, dosi granorum viginti aut triginta. Vide Ferrum.

Larix *Offic.*

Lerchenbaum.

Pinus Larix Botan. Pinus foliis fasciculatis obtusis Lin. Arbor in montibus Galliæ, Helvetiæ Tirolis, Stiriæ, Bohemiæ, Hungariæ &c. crescens.

Pars usualis. Balsamum vulgo Terebinthina Larigna, male veneta dicta, succus scilicet resinoso oleosus, seu resina liquida, quæ sponte e foraminibus cortici terebratis promanat, consistentiæ mellis, tenax, pellucida, coloris albi flavescentis, odoris gravis, ingrati, resinosi, saporis nauseosi, pungentis, amaricantis. Minus tamen acris & purior est terebinthina communi, quæ ex pino sylvestri eodem modo colligitur.

Præparata. *Oleum* seu *Spiritus Terebinthinæ* destillatione obtentus, albicans, saporis acerrimi, fervidissimi, amari, odoris fragrantissimi terebinthinacei, & terebinthina cocta sive residuum ex hacce destillatione, dura, transparens, coloris obscure flavi, odoris terebinthinacei, saporis resinosi, quodammodo empyreumatici. Resina hæcce magis inspissata, obscurioris coloris & friabilior, Colophonium audit.

Vires terebinthinæ summe stimulantes, specialius diureticæ; urinamque violaceo odore imbuentes, interne vix usitatæ. Externe ad clisma-

ta irritantia drachma una vel altera cum vitello ovi subacta. Præcipue vero ob vim subpurantem, balsamicam, consolidantem ad deliganda ulcera; quare in unguento digestivo, basilico, elemi, styracis, atque in emplastro diachylo cum gummatibus, citrino; galbani, minii, oxycrocei & ad fonticulos princeps fere ingrediens.

Ingreditur quoque balsamum schaerianum, emplastrum stomachicum, cicutæ, meliloti, vesicatorium & mercuriale, ut mercurius citius subigatur, nec non unguentum althææ & nervinum.

Oleum terebinthinæ interne periculosum, nimis calefaciens, subcausticum. In arthritide & calculo hepatis cum fructu tentatum, ad decem & plures guttas cum saccharo. Lumbricos ipsamque tæniam feliciter necavit, in propriis experimentis. Externe ob vim stipticam ad hæmorrhagias sistendas, ob vim antisepticam & stimulantem, ad gangrænam prægressa scarificatione, ob vim irritantem penetrantem ad combustiones (juxta recentissimos), ad perniones, ad tumores frigidos, ad anchylosin, & ad vermes ulcerum necandos.

Terebinthina cocta tutius quidem interne & haud periculosa dosi, scopo leniter stimulante & diuretico pillularum forma exhibetur, ast inepte sat in gonorrhæa, aut & in veris exulcerationibus internis, præsertim cum febre junctis. Colophonium exsiccantibus viribus donatum, ulceribus difficulter consolidandis in pulvere inspergitur, & escharam quidem causat, sed vix consolidat. In procidentia anni forma suffimigii adhibe-

Monogr. Jac. Yonge currus triumphalis ex terebinthina.

Fr. Hoffmann de Terebinthina. Hal. 1699. 1730.

G. W. Wedel de Terebinthina. Jen. 1700.

Don. a Muliis, Symphor. Campegius & Mich. Crugner de eod. argum.

Lavandula Spica *Offic.*

Lavendel.

Lavandula Spica Botan. Lavandula foliis sessilibus lanceolato linearibus margine resolutis, spica interrupta nuda. Murr. Fruticulus in Europa calidiori; Hispania, Gallia, Italia spontanea, apud nos in hortis culta.

Pars usualis. *Flores*, id est integri verticilli, seu spicæ florentes cum bracteis, calycibus, & corollis ringentibus nondum expansæ, coloris cærulei, odoris suavissimi, saporis amaricantis, calidi.

Præparata. *Acetum Lavandulæ* ex parte una florum in duodecim aceti optimi macerata. Aqua Lavandulæ florum destillata, & Oleum Lavandulæ destillatum, læte flavicans, acre, copia non semper eadem, nec magna in floribus contentum. Spiritus Lavandulæ ex maceratis floribus siccatis in duabus aquæ lavandulæ & octo Spiritus vini partibus abstractus.

Ingreditur quoque acetum antisepticum, aquam vulnerariam cum vino, balsamum embryonis & saxonicum, species resolventes & spiritum salis ammoniaci lavandulatum.

Vires excitantes, nervinæ, externe resolventes. Hoc scopo flores in sacculis, oleum & spiritus in linimentis, a Chirurgis & Ophthalmiatris ad resolvendos tumores inveteratos & grandines palpebrarum crebro adhibentur. Oleum etiam ob gratum odorem variis unguentis additur. Acetum externe ad cephalæam, & etiam pro suffimigio. Itidem spiritus pro excitamento in animi deliquio. Usus internus nullus fere. Aqua tamen destillata ad aliquot uncias in vertigine senum & debilium laudata fuit.

Monogr. Car. a Linné de Lavandula. Ups. 1781.

Laurus *Offic.*

Lorbeerbaum.

Laurus nobilis Botan. Laurus foliis lanceolatis venosis perennantibus, floribus quadrifidis, dioecis Lin. Arbor calidis regionibus Europæ indigena, apud nos in hybernaculis culta.

Pars usualis. *Fructus*, baccæ oblongo rotundæ, rugosæ, nucleum ovatum gemellum includentes, profunde bruneæ, odoris fragrantis proprii, saporis amari, aromatici, pinguis. Duplex continent oleum, æthereum & unguinosum.

Præparatum. *Oleum Lauri* baccarum e baccis prius coctis expressum, consistentiæ butyraceæ, coloris e viridi flavescentis, odoris fragrantis laurini, saporis amari.

Ingreditur electuarium diatesseron, unguentum nervinum, balsamum Schauerianum, emplastrum meliloti.

Vires stimulantes, tonicæ, carminativæ, resolventes. Usus vero internus rarus; nam baccæ in pulverem vix rediguntur, & nonnisi electuariis stomachicis ad scrupulum unum alterumque quandoque addi solent. Oleum laurinum externe in tumoribus frigidis, in colica flatulenta, spasmo & paralisi variarum partium adhibetur.

Monogr. G. G. de Reibnitz de Lauri in medic. præstantia. Vit. 1716.
M. G. Angnethler de Lauro. Hal. 1751.

Lentiscus, vide Mastiche.

Levisticum *Offic.*

Liebstöckel.

Ligusticum Levisticum Botan. Ligusticum foliis multiplicibus, foliolis superne incisis Lin. Planta perennis in alpibus Apenninis sponte crescens, in hortis crebro pro medicina domestica culta, succo luteo gummi resinoso scatens.

Partes usuales. *Radix* crassa, racemosa, carnosa, extus e gilvo nigricans, intus alba cum nucleo subflavo, odoris peculiaris fragrantis, saporis subdulcis, acris & ingrati. *Semina* oblonga, ex una parte plana, ex altera convexa, membranacea, quinquies striata, coloris fusci, odoris & saporis subaromatici, radici analogi.

Vires stimulantes, sudoriferæ, incidentes. Usus obsoletus, ob Angelicæ & Imperatoriæ analogas vires præferendas.

Dosis in pulvere drachma semis, in infuso aquoso aut potius vinoso uncia semis.

Lichen islandicus *Offic.*

Lungenmoos.

Lichen islandicus Botan. Lichen foliaceus adscendens laciniatus, marginibus elevatis ciliatis Lin. Alga perennis in Islandia copiosa, sed & in Helvetiæ & Germaniæ sylvis arenosis & sterilibus montanis ad terram & saxa proveniens.

Pars usualis. *Integra planta*, foliis siccis, coriaceis, laciniatis, lobisque iterum incisis & laciniatis, margine elevato pilisque brevibus tenerrimis rigidis, parallelis obsesso, maculis albis punctatis, & in apice communiter subrubicundis. Passim inveniuntur peltata, nitida, viscida, nonnihil excavata corpora, intus brunea, quæ sunt pericarpia. Recens coloris ex viridi fulvi, vel ex cinereo brunei, siccatus vero ex albo viridis vel grisei oleagini, saporis amaricantis & mucilaginosi, odoris algarum & fungorum soliti. Uncia una cum libra aquæ per quadrantem horæ cocta & expressa, mucilaginem spissam sistit. Lac decocti amaritiem aliquantisper temperat. Usus hujus algæ antiquis haud ignotus fuit, seculo XVI. Valer. Cordus illum novit. Jo. Ant. Scopoli restaurator.

Vires roborantes, mucilaginosæ, nutrientes, obvolventes, in contabescentia ex subpuratione ulcerum, in phthisi & in morbis consumtivis aliis, etiam in dysenteria summe laudandæ.

Dosis uncia semis pro libra decocti aquosi aut lactei.

Monogr. G. B. Trommsdorff de Lich. island. Erf. 1778.
J. P. Ebeling de Guass. & Lich. island. Glasg. 1779.
C. Chr. Cramer de Lich. island. Erl. 1780.
Ch. Fr. Elsner de Lich. island. Reg. 1791.
B. J. H. Staring Diss. de viribus Lich. island. Harderw. 1791.
Vogler, Reiss de eod. argum.

Limonia vide Citrus.

Linaria. *Offic.*

Leinkraut.

Antirrhinum Linaria Botan. Antirrhinum foliis lanceolato linearibus confertis, caule erecto, spicis terminalibus sessilibus, floribus imbricatis Lin. Planta perennis in locis ruderatis, ad vias, agros & muros crebra. Non lactescit.

Pars usualis. *Herba*, dum floret, colligenda, foliis lanceolatis, linearibus, longis, angustis, sessilibus, læte viridibus, subtus pallidioribus, odoris ingrati nauseosi, saporis subamari ingrati. Euphorbia Cyparissias, summe huic plantæ analoga, succo lacteo se distinguit.

Præparatum. *Unguentum de Linaria* ex herba recenti cum duplo butyri recentis, ad consumtionem humidi cocta & colata.

Vires totius plantæ ob adfinitatem suam & odorem virosum suspectæ. Testante Linnaeo ad necandas muscas lacti recenti inmersa in Smo-

landia adhibetur. Quapropter solummodo externe, unguenti vel cataplasmatis forma ob vires emollientes & annodynas quasdam ad hæmorrhoides cæcas dolentes præcipue adhibetur. Superflua planta pro officinis nostris.

Linum *Offic.*

Lein.

Linum usitatissimum Botan. Linum calycibus capsulisque mucronatis, petalis crenatis, foliis lanceolatis alternis, caule subsolitario Hall. Planta annua in Hispania, Helvetia, aliisque terris australibus sponte nonnunquam inter segetes crescens, in agris nostris pro usu œconomico frequenter culta.

Pars usualis. *Semina*, grana ovato oblonga, compressa margine acuto, admodum glabra, nitida, cortice plus minusve bruneo, nucleo albo, saporis ingrate dulcis, mucilaginosi; unctuosi absque ullo odore. Mucilaginis circiter $\frac{1}{6}$, olei unguinosi $\frac{1}{5}$ continent. Prior in cortice, posterius in nucleo residet.

Præparatum. *Oleum Lini* pressum, pellucidum, limpidum, odoris saporisque non grati, facile in rancorem degenerans.

Ingreditur emplastrum de mucilaginibus & species emollientes.

Vires emollientes, relaxantes, obvolventes. Semina contusa cum lacte cocta dant optima cataplasmata. Sunt qui unciam semis in libra aquæ

coctam, in rancedine, stranguria, adfectionibus calculosis scopo obvolvente interne exhibent. Oleum interne a medicis raro adhibetur, nisi post venena ingesta, aut in colica pictonum. Negligatur rancidum. Externe pro inunctionibus incerta dosi, atque in clismatibus ad unciam unam & duas crebro adhibetur.

Liquiritia *Offic.*

Süfsholz, Lakriz.

Glycyrrhiza glabra Botan. Glycyrrhiza leguminibus glabris, stipulis nullis, foliolo impari petiolato Lin. Planta perennis in Hispania, Gallia inferiori & Italia sponte crescens, in Anglia, in Gallia Lotharingica & Narbonensi, etiam in Germania, præsertim in agro Bambergensi copiose culta.

Pars usualis. *Radix*, digitum & ultra grassa, tenax, longa & siccatione rugosa, extus bruno fusca, intus flava; saporis dulcis & mucilaginosi, cum levi amaritie ad finem. Aqua omnes vires extrahit, difficulter fermentationem subit.

Præparata. *Extractum* vulgo dictum succus liquiritiæ ex succo recentis radicis, vel decocto inspifsato. In Hispania magna quantitate paratur. Fragile est dum siccum, & diffractum splendens, coloris nigri, saporis ex dulci subamaricantis. Gelatina liquiritiæ, vulgo taleolæ catarrhales, cum gummi arabico & saccharo paratæ; atque in frustulis adservatæ; saporis fatui, & in ore difficulter diffluentes.

Ingreditur electuarium pectorale, elixirium asthmaticum, pillulas de styrace, species decocti althææ & pectorales, atque syrupum diacodii.

Vires a principio saccharino dependent, emollientes, involventes, pectorales. Ad decocta edulcoranda forma infusi additur, nam coctione ingrate amarescit. Hinc decoctis ad unciam semis vel integram pro libra sub finem additur, ut solummodo infundatur. Succus & pulvis in tussi sicca cum aliis mulcilaginosis vulgo adhibetur, & a plebe expetitur. Etiam ad pillulas conspergendas.

Monogr. J. Hess epistola de Glycirrhiza.
J. Chr. Goetz de Glycirrh. Alt. 1715.
G. W. Wedel de Glycirrh. Jen. 1717.

Lithargyrum [vide Plumbum.

Lumbrici.

Regenwürmer.

Lumbricus terrestris Lin. Lumbricus trifariam extrorsum aculeatus; pedem sæpe longus, pennam anserinam crassus, carnosus, mollis & annulatus. Capiuntur ubivis terrarum æstivo tempore, & vino abluti ac suffocati in furno leni calore exsiccantur.

Vires adscriptæ fuerunt quondam diureticæ, externe resolventes & anodynæ. Usus autem hodie nullus. Spiritus lumbricorum in officinis hucusque servatus summe superfluus, tum ob spiritum formicarum, tum ob alia longe potentiora.

Monogr. Chr. Fr. Paullini schediasma de Lumbrico terrestri.

G. E. Stahl de Lumbr. terrestr. eorumq. usu antispasm. Hal. 1707.

Dern de usu Lumbr. terrestr. antisp. Giss. 1718.

Bromelius de Lumbr. terr. L. B.

H. P. Juch de Lumbr. terr. Erf. 1742.

Lysimachia purpurea vide Salicaria.

Macis *Offic.* Muskatblüthe

et

Moscata nux, Muskatnuss.

Myristica officinalis Botan. Myristica aromatica Lin. & Myristica moscata Thunb. Arbor magnitudine pyri, in insulis Moluccanis spontanea, præcipue in provincia Banda arte culta.

Pars usualis. *Fructus*, qui drupa est pyriformis, sulco longitudinali notata, magnitudine fere Persicæ fructus. Constat quadruplici substantia. Putamen externum subcarnosum amarum sponte dehiscit & abjicitur. Sequitur involucrum sive tegmentum proximum nucis moschatæ; reticulare, in lacinias fissum, carnosum, pingue, oleosum, Macis dictum, coloris ex aureo rufescentis, odoris fortis balsamici, saporis aromatici, sub amari, acris. Flexile fragili præferendum. Infuso aquoso colorem albicantem & saporem debilem communicat, tinctura autem spirituosa colorem, odorem & saporem ipsius macidis nansiscitur. Hæc membrana Macis immediate cingit nucem, expu-

tamine externo nigro, cortice nucis avellanæ tenuiori, & ex nucleo constantem. Nucleus proprie Nux moscata seu myristica audit; subrotunda, solida, dura, ponderosa, externe nonnihil sulcata, ex griseo fusca, intus flavescens & rufis striis undulatis notata, scissilis, tactupinguis & adeo oleosa, ut acu candente puncta oleum emittat, odoris balsamici, saporis aromatici, grate amari. Nux rotunda minor, vulgo femina dicta, profertur oblongæ & majori; quæ mas dicitur, odoris atque saporis longe debilioris. Aqua parum extrahit, spiritus vini totas vires.

Præparata. *Tinctura Macis* cum sexduplo spiritus vini rectificatissimi digesta. Oleum Macis destillatum, tenuissimum, volatile odoris valde aromatici, pellucidum, dilute flavum aquæ supernatans crassiore parte solummodo fundum petente, in libra una macidis ad drachmas fere sex contentum. Oleum nucis moschatæ destillatum, flavo rubescens, aquæ pro parte innatans, pro parte fundum petens, in libra una nucum ultra semiunciam contentum. Oleum nucis moscatæ pressum, vulgo oleum Nucistæ, butyraceum, sebi consistentiæ, coloris exrubro flavi, ad quatuor uncias ex libra nucum extrahendum; saporis & odoris moschati, ast debilioris quam in destillato oleo. Utrumque ex Hollandia magna quantitate adfertur, leviori quidem pretio comparandum, ast minus sincerum. Præcipue expressum sebo & cera contaminatum occurrit.

Ingrediuntur acetum antisepticum, balsamum caryophyllorum, embryonis, schauerianum

& saxonicum, salem volatilem oleosum, emplastrum stomachicum, pulverem & electuarium dentifricium, spiritum Carmelitarum & aromaticum, atque tincturam aromaticam acidam.

Vires utriusque, tum macidis, tum nucis stimulantes, calefacientes, roborantes, stomachicæ, carminativæ, antispasmodicæ, summe commendabiles in laxitate primarum viarum & flatulentia, in spasmis ex debilitate, in hysteriasi mensiumque defectu ex consimili causa. Inde vis decantata uterina eruenda. Aliis medicamentis ingratis, uti rheo, ob gratiam adduntur. Macis externe in suffimigio. Dosis in pulvere a granis quinque ad decem cum saccharo. Tinctura ad drachmam unam aut plures. Olea destillata ad duas tresve guttas interne, externe ad drachmam semis & ultra pro unguentis nervinis & scutis stomachicis. Oleum nucistæ externe in paralysi, in morbis ventriculi & intestinorum e debilitate exortis, per se vel cum aliis inungitur.

Monogr. Paullini curiosa descriptio Nuc. moschat.
J. H. Dietz de Nuce moschata. Giess. 1681.
Nic. Schulze de Nuce mosch. Traj. 1709.
M. B. Valentini Macis, vulgo sed perperam Muscatenblume dicta. Giess. 1719.
Thunberg de Myristica. Upsal. 1788.

Magnesia nitri *Offic.*

Salpetermagnesie.

Carbonas calcis Chem. Terra calcarea e nitri nativi lixivio per adfusum alcali vegetabile

præcipitata; edulcata, atque protracta coctione a superfluo acido carbonico liberata. Superflua.

Vires acidum absorbentes, lenissime purgantes. Dosis ad semidrachmam.

Magnesia Vitrariorum.

Braunstein.

Oxydum Magnesii nativum Chem. Substantia metallica proprii generis oxydata, in Anglia, Saxonia, Thuringa, Transylvania &c. obvia, coloris utplurimum nigri, manus inquinantis, ponderosa, fragilis, nitens.

Usus medicus nullus; pharmaceuticus aliquis, præcipue ad obtinendum acidum salis oxygenisatum, atque ad spiritum salis dulcem rite parandum.

Monogr. J. C. A. Schrödter num Magnesia. Vitr. in febrib. inflammat? Jen. 1793.

Majorana *Offic.*

Majoran.

Origanum Majorana Botan. Origanum spicis subrotundis ternis compactis pedunculatis, foliis petiolatis ellipticis obtusis glabriusculis, radice annua Willden. Planta annua in Oriente, in Palæstina & Lusitania sponte crescens, apud nos in omnibus fere hortis culta. Coquis gratior quam medicis.

Pars usualis. *Herba* cum summitatibus florentibus, foliis parvis ellipticis, subtomentosis, integerrimis e brevi petiolo, ex albo viridibus, odoris fortis peculiaris, saporis aromatici, subacris, amaricantis.

Præparata. *Aqua Majoranæ* destillata, fragrantis odoris. Oleum Majoranæ destillatum, $\frac{1}{64}$ fere totius plantæ, saporis acris calidi, coloris pallide lutei aut rubicundi, ætate in salem volatilem oleosum solidum concrescens. Unguentum Majoranæ ex herba recenti contusa cum duplo butyri.

Ingreditur aquam vulnerariam cum vino, balsamum saxonicum, emplastrum meliloti, pulverem sternutatorium & species resolventes.

Vires stimulantes, resolventes, nervinæ, interne raro adhibitæ; externe resolventes.

Unguentum seu butyrum Majoranæ in paralysi, in obstructione narium infantum a muco. Scopo sternutatorio in pulvere.

Dosis. *Aqua* scopo excitante ad uncias duas vel tres. Herba in pulvere ad grana viginti, in infuso ad drachmas tres, si aliquis præscribere vellet.

Monogr. Georg. Gravii Panacea vegetabilis calida, seu Majorana nostra. Jen. 1689.

Malva vulgaris *Offic.*

Käsepappel.

Malva Sylvestris Botan. & Malva rotundifolia Lin. Plantæ annuæ, in ruderatis, ad sepes & vias nostras communissimæ.

Partes usuales. *Flores*, quinque petalis, obcordatis; præmorsis, coloris cærulescentis, saporis fatui mucilaginosi. Sub hoc nomine sæpe etiam colliguntur flores Alceæ roseæ. *Herba* foliis reniformibus, orbiculatis, obsolete quinque lobatis, crenatis, glabris, sæpe subplicatis, longiter petiolatis, læte viridibus, saporis mucilaginosi. Herba hujus plantæ plus mucilaginis continet quam radix, quod in Althæa contrarium.

Ingreditur species decocti althææ, & emollientes.

Vires althææ analogæ, ast minores; mucilaginosæ, emollientes, laxantes.

Dosis. Herba ad unciam semis vel integram in infuso, pro gargarismate, clismate, aut & pro interno usu. Flores raro, & ad drachmam solummodo unam vel alteram in infuso.

Manna *Offic.*

Manna.

Fraxinus Ornus Botan. Fraxinus foliolis serratis; floribus corollatis Lin. Arbor Indiæ orientalis, Syriæ, tum & Europæ australis, præcipue Siciliæ, Calabriæ & agri Romani indigena.

Pars usualis. Arbor hæcce (tum & plures aliæ Fraxini species, præcipue Fraxinus rotundifolia & excelsior Lin.) in climate calidiori, dum junior est, ex trunco & ramis incisione vulneratis succum viscidum saccharinum emittit, in aëre & a radiis solaribus condensatum, qui Manna est officinarum. Copiosissime ad nos venit Calabri-

na, in massis siccis, difformibus, variæ magnitudinis, grummosis, submollibus, ex glebis albo flavescentibus & subgriseis compositis, variis quisquiliis contaminata, odoris fere nullius, saporis dulcis, subnauseosi. Vilissima est illa, quæ sordida, coloris obscurioris, odoris & saporis peregrini, melleæ consistentiæ, cum saccharo farinaceo, vel melle, vel amylo adulterata. Præstat siccior, levior, purior, subpellucida, diffracta substantiam liquidam mellitam ostendens, albicans cum rubedine, super lingua deliquescens. Glebæ hujus Mannæ majores, purissimæ, albæ vel rubellæ & transparentes, sub nomine Mannæ electæ venduntur. Optimæ autem notæ est Manna canellata in frustris subtubulosis albis occurrens, sed raro ad nos venit, & rarius sincera. Purissima esset Manna in lacrymis, sponte ex arbore stillans, sed nobis nunquam visa.

Non solum in aqua & spiritu vini Manna fere penitus solvitur, sed etiam ex aëre humiditates adtrahit & diffluit; quare sicco & calido loco adservanda.

Præparatum. *Syrupus mannatus*, quem simul intrant purgante scopo folia sennæ, & fructus anisi stellati, ne tormina causentur.

Ingreditur præterea aquam angelicam & infusum laxativum.

Vires eccoproticæ. laxantes absque stimulo, solventes, detergentes. In repurgandis primis viis magnus hujus medicaminis usus, præcipue ubi tubum intestinalem non licet irritare multum, &

apud infantes, quibus dulcia grata. Sunt tamen idiosyncrasiæ, quæ dulcedinem hancce renuunt.

Dosis infantibus a drachmis duabus ad unciam semis, adultis ab uncia una ad duas in vehiculo aquoso. Solvitur in infusis aut decoctis ante colaturam, dum fervent adhuc. Simili modo pro clismatibus. Syrupus mannatus ad unciam semis vel integram infantibus præscribitur, & cochleatim scopo purgante exhibetur.

Monogr. A. D. ab Altomari 1562 primus usum & vires hujus medicaminis descripsit.
C. Posner de Manna. Jen. 1677.
P. Hoffusenius de Manna. Ups. 1681.
Fr. Hoffmann de Manna, ejusq. præstantissimo in medic. usu. Hal. 1725.
P. Fr. de Sailly de Manna. L. B. 1740.
L. Heister de Manna. Helmst. 1752.
J. E. Fabri historia Mannæ inter Hebreos. Kil. 1770.
Trainer Exam. chem. Mannæ. Erl. 1793.

Marrubium album *Offic.*

Weiſser Andorn.

Marrubium vulgare Botan. Marrubium foliis subrotundo - ovatis dentatis rugoso venosis, calycinis dentibus setaceis uncinatis Willden: Planta perennis in locis ruderatis, ad sepes & vias indigena.

Pars usualis. Summitates & *herba*, mense Junio colligenda, foliis ovato - oblongis, crenatis, rugosis, mollibus, lanuginosis, craſsis, petiolatis, supra viridioribus, infra albicantibus, odoris,

dum fricantur, balsamici, submoscati, saporis amaricantis, subadstringentis.

Ingreditur species resolventes.

Vires leniter stimulantes & roborantes, resolventes; in morbis cachecticis cum viscerum obstructione, in chlorosi, in morbis mucosis, præcipue pectoris quondam laudatæ. Externe discutientes.

Dosis uncia semis vel una pro infusi libra una. Succus expressus ab uncia una ad tres cum melle vel aliis, a Boerhaavio laudatus, a Cullenio damnatus.

Monogr. J. Fr. Cartheuser de Marub. albo. Frf. 1755.

Mastiche *Offic.*

Mastix.

Pistacia Lentiscus Botan. Pistacia foliis abrupte pinnatis, foliolis lanceolatis Lin. Arbor sempervirens in Aegypto, Syria, in insulis Archipelagi, in Sicilia, Italia, Hispania, Gallia inferiori sponte crescens, in insula Chio industriose cuita.

Pars usualiis. Resina, ex vulnerato cortice hujus arboris in climate calidiori sponte stillans, Mastix officinarum. Adfertur in granis sive lachrymis variæ magnitudinis, siccis, fragilibus, subpellucidis, citrini coloris, odoris subbalsamici, saporis adstringentis, aromatici. Masticata mollescit & tenax evadit, super prunis grato odore inflammatur, in alcohole, oleis pressis

& destillatis, atque in spiritu terebinthinæ solvitur. Rejiciatur sordida, impura, cærulescens.

Præparata. *Tinctura Mastiches composita*, cum anaticis partibus myrrhæ & olibani in spiritu vini rectificato digestis. Hujus miscelæ abstractione obtinetur Spiritus Mastiches compositus vulgo matricalis.

Ingreditur emplastrum oxycroceum stomachicum & defensivum rubrum, pulverem fumalem, balsamum schaueriamum & unguentum digestivum.

Vires roborantes, vulnerariæ. Usus tantum externus, pro suffimigiis ad prolapsum intestini & tumores frigidos laudatus, atque pro emplastris. Tinctura Mastiches in carie & ulceribus sordidis laxis. Sunt qui frustulorum masticationem in linguæ paralisi, aut in congestionibus serosi capitis, fauciumque commendant.

Dosis. Interne grana decem aut viginti exhiberi possent; forma pulveris cum saccharo, aut pillularum. Inepte a medicastris in gonorrhæa præscribitur.

Monogr. Strobetberger Masticholoqia, seu de univ. Mastich, natura Diss. med.

Matricaria *Offic.*

Mutterkraut.

Matricaria Parthenium Botan. Matricaria foliis compositis planis, foliolis ovatis incisis, pedunculis ramosis Lin Planta perennis, hinc in-

de in rudoratis & ad muros crescens, plerumque in hortis flore pleno culta.

Pars usualis. *Summitates florentes & herba*, foliis planis, ex alternatis foliolis ovatis incisis compositis, teneris, mollibus, subpilosis, pallide viridibus, Absinthio similibus, odoris fragrantis ad illum Millefolii accedentis, sed nauseosi, saporis valde amari.

Vires Chamomillæ analogæ, ast debiliores; stimulantes, nervinæ, antispasmodicæ, uterinæ multum laudatæ, in hysteriasi, mensium anomalia, chlorosi &c. Superflua in officinis ob Chamomillam planta.

Dosis in pulvere scrupulus unus alterve; in infuso drachmæ duæ aut uncia semis ad libram.

Mel commune.

Honig.

Substantia dulcis saccharina, liquida crassiuscula, ex albo flavescens, fermentabilis, e nectariis florum ab apibus collecta, & in favos delata. Optimum est virgineum, nulla pressione vel coctione adhibita e favis diffractis sponte sub leni calore defluum; spissæ consistentiæ & granulosæ, coloris albicantis vel dilute flavi, odoris suavis, saporis grate dulcis in aqua & spiritu vini facilime solubile. Mel commune vel crudum e favis expressum vel excoctum, partibus cereis multum contaminatum est, pro usu igitur interno depuratum & despumatum in officinis adservatur,

Præparata. *Oximel simplex* ex aceto vini optimo cum duplo mellis ad inspissationem coctum. Oximel quoque æruginis, colchicum & sciliticum suo loco memoratum. Mel pectorale ex decocto specierum pectoralium cum duplo mellis inspissato. Mel rosatum ex infuso rosarum rubrarum siccatarum cum dupla mellis quantitate, ad inspissationem cocto.

Vires interne solventes; emollientes, externe consimiles, detergentes. Usus propterea multiplicissimus. Mixturis & decoctis ad gratiam; antiphlogisticis præcipue ad augendas simul vires additur, imprimis oximel, aceti virtute simul donatum. Ad formandam electuariorum — edulcorandorum simul — consistentiam quamoptime inservit. Nocet vero primis viis debilitatis, atque iis, qui ob idiosyncrasiam dulcia renuunt. Majori dosi alvum movet. Externe ad clismata solventia, emollientia, ad injectiones, gargarismata, collutoria detergentia in angina ulcerosa, aphthosa &c. crebro adhibetur. Itidem ad subpurationem promovendam.

Dosis ad unciam unam, duas vel tres de die.

Monogr. G. Ch. Moeller de Melle, Jen. 1691.
B. Ewaldt de sanit. hom. per mel & oleum conservanda, Reg. 1711.
J. Fr. Depre de quinta essent. regni veget. s. Melle Erf. 1720.
Fr. P. Mel, Mel saccharo præstantius, Alt. 1724.
A. Venturi de Mellis orig. & usu. Venet. 1763.
A. Th. de Martini Diss. de Melle. Oenop. 1771.
J. Mastalirz Diss. de ape mellifica &c. Vien. 1781.

Melilotus *Offic.*

Steinklee.

Trifolium Melilotus officinalis Botan. Trifolium leguminibus racemosis nudis dispermis rugosis acutis, caule erecto Lin. Planta biennis ad vias, in ruderatis, collibus & agris frequens.

Partes usuales. *Herba* foliis ternatis, ex oblongo rotundis, crenatis, superne quasi refectis, saporis subamari, mucilaginosi. *Flores* lutei seu citrini, corollis papilionaceis cum pedunculis & calycibus, odoris subfragrantis, siccatione pereuntis, saporis herbacei, subamari. Varietas flore luteo manifeste magis odora & in ipsa herba fragrantior est altera, quæ albo flore instructa est.

Præparatum. *Emplastrum de Meliloto* compositissimum, constans præter herbam meliloti ingredientem, ex pulvere herbæ absinthii majoris, florum chamomillæ; seminum fænugræci, baccarum lauri, gummi ammoniaco, resina pini, terebinthina, oleo & cera.

Ingreditur species emollientes.

Vires emollientes, resolventes, discutientes, ob odorem ingratum ad usum solum externum adhibendæ, fomentationum vel cataplasmatum forma. Emplastrum de meliloto ad discutiendos tumores colli scrophulosos communiter laudatur & a plebe expetitur, sed inefficax est.

Melissa *Offic.*

Melisse.

Melissa officinalis Botan. Melissa verticillis dimidiatis, bracteis oblongis pedicellatis, foliis ovatis acutis serratis Willden. Planta perennis in Europa australi spontanea, apud nos in hortis culta.

Pars usualis. *Herba* foliis ovatis subcordatis, serratis, breviter petiolatis, subhirsutis, sulcatis, læte viridibus & infra pallidioribus, odoris suavissimi citrini, saporis balsamici, aromatici. Infusum aquosum citreum odorem recipit, & adeo gratum saporem habet, ut Theæ Chinensi substitui posse quibusdam visum fuerit. Olei ætherei minima quantitas inest, nec facile evolvenda.

Præparata. *Aqua Melissæ* destillata cito spiritum rectorem deperdens. Spiritus Melissæ compositus vulgo Aqua Carmelitarum, cum corticibus citri, seminibus coriandri, nuce moschata, caryophyllis, cinnamomo & radice angelicæ in spiritu vini maceratis, abstractione obtentus, a plebe quondam superstitiose admiratus. Gratum odoramentum.

Ingreditur Species pro Thèe, balsamum embryonis & aquam vulnerariam cum vino.

Vires leniter stimulantes, grate excitantes nervinæ, antispasmodicæ, stomacho gratæ, exhilarantes multis dictæ & grata insomnia causantes. Externe discutientes.

Dosis ad drachmas duas vel quatuor in libra infusi. Aqua ad uncias tres & plures. Spiri-

tus a guttis viginti ad quadraginta. Externe largius in animi deliquio.

Monogr. J. H. Schulze Diss. de laudatissimæ Melissæ virtutibus usuq. med. Hal. 1739.

Melo *Offic.*

Melone.

Cucumis Melo Botan. Planta annua apud nos ob gratiam fructus copiose culta.

Pars usualis. *Semina* ovato oblonga, plana, minora, compressa, ex albo flavicantia; inferne marginata & angustata, quorum arillus coriaceus medullam albam, dulcem, mucilaginoso — oleosam continet.

Vires refrigerantes, mucilaginosæ. Usus pro emulsis gratis refrigerantibus, siti contrariis. Vide amygdalas.

Dosis, uncia una vel duæ pro libra emulsi.

Meloe Proscarabæus *Offic.*

Maywurm.

Meloe Proscarabæus Lin. Insectum apterum, corpore violaceo, molli, annulato, sesqui pollicem longum, digitum ferme crassum, adtactu humorem crassum, oleosum; flavescentem ex articulationibus emittens, saporis calidi, acris. In apricis campis mense Majo & Junio deprehenditur, ranunculo utplurimum & veratro vescens. Sale ammoniali scatet. Inepte scarabæus Melolantha Lin.

(Maykäfer) substituitur. Posset tamen substitui Meloe majalis, in Europa australi occurrens.

Pars usualis. Insectum demto capite in melle conservatum, ea cum cautela; ne succus detergatur, in quo quærunt virtutem.

Vires, cantharidum viribus analogæ. Ab anno 1754 in præcavenda hydrophobia post morsum rabidum in Silesia & Borussia celebres quidem, sed non satis efficaces; præcipue topica vulneris tractatione neglecta.

Dosis pro adulto $\frac{1}{3}$ vel $\frac{1}{2}$ insecti de die, pro vacca, bove integrum. Sed verum arcanum a Collegio medico Berolinensi Anno 1777 divulgatum, atque a Maxumo Regum de rustico Silesio emtum, pluribus præter Meloen ingredientibus constat, theriaca scilicet, pulvere serpentariæ virginianæ, rasura plumbi, ligno ebenino &c. cum melle in electuarium redactis, cujus drachmæ fere duæ pro dosi exhibentur.

Monogr. J. T. Pauli Meloas Antilyssicas. Frf. 1778.
J. Chr. Kemmede hydrophobia ejusq. specifico, Melloe maj. & Proscarab. Hal. 1783.
Dehne Abhandl. vom Maywurme, und dessen Anwend. in der Wuth und Wasserscheue. Leipz. 1788.

Mentha crispa *Offic.*

Krausmünze.

Mentha crispa Botan. Mentha spicis capitatis, foliis cordatis dentatis undulatis sessilibus, staminibus corollam æquantibus Lin. Planta perennis in Sibiria, Helvetia, Hercynia, Germania spon-

te crescens, in hortis multum culta. Substituitur sæpe Mentha sativa Lin. foliis petiolatis, ovato acutiusculis.

Pars usualis. *Herba* mense Junio & Julio colligenda, foliis cordatis, undulatis, dentatis, rugosis, hirsutis, sessilibus, profunde viridibus, odoris fortis, fragrantis, balsamici, non admodum grati, siccatione non multum pereuntis, saporis subamari, aromatici, urentis.

Præparata. *Aqua Menthæ crispæ* destillata. Conserva Menthæ e foliis recentibus cum duplo sacchari. Oleum Menthæ crispæ destillatum. Spiritus Menthæ & syrupus Menthæ.

Ingreditur etiam acetum antisepticum, aquam carminativam & vulnerariam cum vino, balsamum embryonis & saxonicum, emplastrum stomachicum & unguentum nervinum.

Vires Hippocrati & Dioscoridi jam notæ stimulantes, nervinæ, antispasmodicæ, antiemeticæ carminativæ, in adfectionibus spasticis, præcipue vero ventriculi, in anorexia & vomitu e primarum viarum laxitate egregiæ, externe resolventes in tumoribus frigidis, antisepticæ.

Dosis uti herbarum stimulantium. Pro infuso aquoso aut vinoso drachmæ duæ vel uncia semis. Conserva ad semiunciam vel integram. Aqua ad plures uncias. Spiritus ad drachmam semis vel integram.

Monogr. Car. a Linné Menthæ usus. In amœnit

Mentha piperita *Offic.*

Pfeffermünze.

Mentha piperita Botan. Mentha spicis capitatis, foliis ovatis serratis petiolatis staminibus corolla brevioribus Lin. Planta perennis in locis humidis Angliæ sponte crescens, in hortis nunc crebro culta. Non commutetur cum Mentha viridi Lin.

Pars usualis. *Herba*, foliis oblongo ovatis, sulcatis, serratis, petiolatis, supra glabris, infra subhirsutis, læte viridibus, odoris fragrantis, fortis, saporis aromatici camphoracei urentis, & postea grate refrigerantis. Siccatione vix aliquid in qualitatibus hisce mutatur.

Præparata. *Aqua Menthæ piperitæ* destillata, quæ diu observata, filamenta candida vere camphoracea excutit. Oleum Menthæ piperitæ destillatum, flavo viride, tempore obscurius. Rotulæ Menthæ piperitæ, ex sacharo impregnato hujus plantæ oleo & aqua destillata.

Vires uti prioris menthæ, ast majori intensitate stimulantes, debili ventriculo gratiores, externe potentius resolventes. Rotulæ in paralysi linguæ & ventriculi laxitate vulgo adhibitæ.

Dosis fere eadem, ac prioris menthæ, paulo moderatior.

Monogr. Th. Knigge de Mentha piperita. Erl. 1780.

Mercurius *Offic.*

Argentum vivum, Hydrargyrum.

Quecksilber.

Metallum post aurum & platinam ponderosissimum, liquidum in vulgari atmosphæræ nostræ calore, digitos non madefaciens, impellucidum, in mediocri igne totum volatile vaporem summe nocivorum paralysin inducentium forma, coloris splendidi argentei, levissime pressum in globulos parvos ac multos dissiliens. Vel nativum, quod virgineum vocatur, in mineris reperitur, vel arte ex illis educitur. Ex India orientali, Hispania, Hungaria, Carniolia & Palatinatu adfertur.

Suspectus pro usu pharmaceutico est omnis fere mercurius vendibilis, plumbo, bismutho, stanno plerumque inquinatus. Bonus censetur, qui in superficie nitet & lucide splendet, non languidus aut quasi membranula obductus adparet, qui in charta vel disco vitreo currens in globulos exacte rotundos libentissime dissilit, levissime iterum coeuntes & in cursu nihil impuri relinquentes; qui aquam destillatam, si teritur cum illa, minime inquinat; per corium transpressus nihil impuri pulverulenti relinquit, qui ob plumbeas partes absentes acetum minime dulcificat, atque liquore probatorio vel aliis reagentibus tentatus nullam labem detegendam exhibet, atque in cochleari ferreo super carbones ardentes absque decrepitatione totus avolat, nullo residuo relicto. Optimus ta-

men ille & purissimus, qui ex cinabari per revivificationem obtinetur.

Mercurius vivus in forma sua metallica vires medicatas nullas fere exserit, vias secundas non intrat, sed gravi suo pondere cito intestina transcurrit & immutatus iterum exit. Quare a veteribus in morbo ileo, in volvulo intestinorum & pertinacissima alvi constipatione ad sex aut & ad decem uncias cum oleo exhibitus fuit. Præparatus vero vario modo, ut metallicam formam exuat, oxydatus, forma calcis ut ajunt, aut salis metallici occurrens, egregias illas & peculiares vires nanciscitur, quas nullum aliud pharmacon possidet.

Præparata. *Aethiops antimonialis* vide Antimonium.

Aethiops mineralis (sulphuretum hydrargyri) inventus a Th. Turqueto, ex trituratione partis unius florum sulphuris cum duplo mercurii vivi ad globulorum disparentiam sine igne juxta præscriptionem Dispensatorii paratur; nigri pulveris forma comparens. Aptius autem hoc præparatum cum igne obtinetur, majorem mercurii quantitatem, eamque cum sulphure intimius mixtam continens, dum septem partes mercurii uni parti sulphuris in crucibulo fusi caute admiscentur massa subito nigrescente exorta, quæ frigefacta servatur. Hocce præparatum sublimatione forti igne ex cucurbita vitrea charta obturata sistit Cinnabarim factitiam, sulphuretum hydrargyri sublimatum, massam crystallinam chalybei coloris, quæ in subtilissimum rubentem pulverem trita adservatur. Ingreditur pulverem antispasmodicum.

Acidum nitri libentissime mercurium adgreditur. Ipsa hæc solutio saturata, in aqua forti, atque communi destillatæ aquæ ad paucas guttulas instillata, post Lemeryum a sellio aliisque sub nomine mercurii nitrosi cochleatim ægris caute exhibita fuit. Eadem solutio cum quadruplo axungiæ porcinæ unguentum mercuriale citrinum sistit, unguentum nitratis hydrargyri.

Dum vero hæcce mercurii in s. q. aquæ fortis solutio ad siccitatem usque destillatur, remanensque massa eousque calcinatur, donec colorem eleganter rubrum adquisiverit, exoritur mercurius præcipitatus ruber, oxydum hydrargyri rubrum. Minutissimis squamulis rubicundis splendet, odoris nullius est, saporis vix sensibilis, nec corrosivi nec metallici. Ab illis qui eum vendunt, cum minio & cinnabari sæpe adulteratur. Hicce autem mercurius acido nitri oxydatus pro usu interno nimis est causticus. Prævalet igitur præcipitatio ex hac mercurii cum acido nitri unione ope salis alcalini, sicque pro usu interno tutior redditur. Ex instillatione spiritus salis ammoniaci aquosi exoritur mercurius præcipitatus cinereus Blackii; ex instillatione vero spiritus salis ammoniaci caustici in dilutam mercurii in aqua forti solutionem, mercurius præcipitatus niger sive solubilis Hahnemanni obtinetur. Præcipitatum autem obtentum lotione repetita in aqua destillata edulcorari debet, & in umbra siccari. Ex ipso nigro si diu & incaute adservatur, temporis tractu cinereus,

saltem griseus exoritur. Minime quidem solvitur in aqua, etsi solubilis dictus, sed in massam glebosam cum aqua abit, & cum humoribus nostris facilius uniri ab inventore dicitur.

Mercurii cum acido salis oxygenato unio, multiplici modo a Chemicis præstanda, exhibet quidem præparata summe corrosiva, cauto tamen sub regimine summe in praxi medica utilia. Huc spectat omnium primo Mercurius sublimatus corrosivus, murias oxygenatus hydrargyri, vario processu chemico obtinendus. Juxta nostrum Dispensatorium quatuor partes vitrioli mercurii sicci & probe calefacti cum quinque partibus salis communis decrepitati commiscentur & ex cucurbita vitrea sublimantur. Frigefacto adparatu eximitur sublimatum & servatur, sale mirabili residuo, utpote suspecto, abjiciendo. Mercurius hicce sublimatus crystallinæ compagis est, ex spicis parallelis formatæ, splendens, solidus, diffractus radiosus vel spicatus adparens, coloris albi, odoris nullius, saporis maxime corrodentis, nauseosi, metallici, etiamsi in maxima quantitate aquæ dilutus. Ab aëre non mutatur, leni igne autem avolat & denuo sublimatur, rapido igne semivitrificatur. In sexdecim fere partibus aquæ perfecte solvitur, spiritus vini autem majori quantitate pro perfecta solutione indiget. A salibus alcalinis & aqua calcis decomponitur, & quidem solutus in s. q. aquæ destillatæ, ex adfuso spiritu salis ammoniaci aquoso, forma pulveris albi præcipitatur, qui aqua calida perfecte edulcoratus, mercurius præcipitatus albus vocatur, sal triplex, murias hydrar-

gyro ammoniacalis. Aqua calcis vero præcipitatum aurantiacum sistit, totaque miscela sub nomine aquæ phagadenicæ aut liquoris mercurialis occurrit, qui tamen liquor juxta recentissimum Dispensatorium etiam ex sale ammoniaco solutioni mercurii sublimati addito obtinetur.

Denique mercurius sublimatus corrosivus ad imminuendas ejus pro usu interno vires, metallice mercurii portione superimprægnari potest; atque hunc in finem anaticæ sublimati & vivi partes in pulverem cinereum conteruntur, in cucurbita sublimantur, ac sublimatum obtentum in pulverem tritum, nec non aqua destillata fervida perfecte edulcoratum, insipidum nunc & in aqua difficulter solubile colorisque subflavescentis, adservatur nomine mercurii dulcis, calomelis, aquilæ albæ, sive panaceæ mercurialis (murias hydrargyri sublimatus). Hocce præparatum cum triplo massæ pillularum purgantium drasticarum pillulas mercuriales sistit Dispensatorii nostri.

Mercurium oxydatum adgreditur quoque acetum. Dum nunc mercurius præcipitatus ruber in s. q. aceti distillati ad perfectam solutionem digeritur, atque solutio filtrata & debite evaporata ad crystallisandum reponitur, formantur crystalli squamosæ, in aqua difficillime solubiles, in aëre libero defatiscentes, saporis acerrimi corosivi; vocantur terra foliata mercurialis (acetis hydrargyri).

Quum denique in acido phosphorico magnas vires medicatas quæsiverint hodierni, mercurius phosphoratus quoque prostat in officinis (phos-

phas hydrargyri), qui præcipitatione obtinetur ex instillata solutione aquosa sodæ phosphoratæ in solutionem mercurii in aqua forti. Præcipitatum aqua destillata frigida abluitur, & siccatum servatur; album, subroseum, in aqua difficillime solubile. Schæfferus atque Fuchsius inventores hujus præparati.

Mucilagines vivum mercurium trituratione accedente in minimos globulos dividunt potius, quam solvunt; hinc magnam mercurii partem intactam & metallicam relinquunt. Hanc ob rationem Plenkiana methodus mercurium gummosum mixturæ aut pillularum forma exhibendi non multos amplius sectatores agnoscit.

Cum axungiis vero diuturna trituratione per 60 & plures horas, vivus mercurius tum miscetur, tum oxydatur. Tali modo obtinetur unguentum mercuriale sive neapolitanum, ex una parte mercurii currentis cum tribus axungiæ porcinæ exacte triti, addita aliqua pro meliori consistentia sebi cervini portione. Emplastrum mercuriale autem continet mercurium vivum terebinthina exstinctum, cum quadruplo emplastri diachyli simplicis mixtum.

Vires & dosis. Ab antiquissimis medicis mercurius venenis adscribebatur, quemadmodum revera tum externe, tum interne quacunque forma incaute adhibitus venenatos & lethales sæpe effectus exserere valet. Mathiolus primus hoc metallum interne adhibuit, mercurium scilicet præcipitatum a Vigone 1510 inventum. Sublimatus mercurius a Basilio Valentino denuo commendatus, jam

Arabibus non ignotus erat, quibus etiam unguenta & emplastra mercurialia jam in usum tracta fuerunt; atque per illos Europæis seculo XI. innotuerunt Peter Hispanus Medicus, postea anno 1576 sub nomine Joannis XXI. Pontifex summus electus, salivationem inde oriundam jam observavit. Idem innotuit Theodorico & Guidoni de Cauliaro. Atque fumigationes cinnabarinæ eandem fere originem habuerunt. Morbi autem venerei postea pergentis fusa propagatio, largiorem tutioremque hujus metalli usum edocuit; confirmavitque omni die experientia, cauto sub regimine absolute venenatas ipsi vires minime inesse.

Vires medicæ præparatorum mercurialium in genere, dum caute adhibentur, sunt stimulantes aut potius irritantes, potenter resolventes & deobstruentes, secretiones fere omnes promoventes, anthelminticæ, & specifice antivenereæ, venenis universim animalibus ex ignota ratione contrariæ, ac proinde etiam antihydrophobicæ sive antirabidæ. Commemoranda potissimum venit singularis illa incitans facultas, quam mercurialia exserunt in systema lymphaticum, glandulosum, & præ aliis in glandulas salivales. Largior scilicet vel diutius protractus mercurialium usus, adaucta omnium primo circuli celeritate, sive febri, mercuriali dicta producta, saporem in ore ingratum & metallicum causat, capitis dolores lancinantes sub horroribus totum corpus concutientibus, faciem pallidam inducit & labia livida tumida, ciborum fastidium, linguam spurcam, animæ fætorem, musculorum colli rigorem, difficilem paulisper deglutitionem,

tonsillarum & glandularum submaxilarium tumorem cum doloribus vagis pungentibus, salivæ largissimum profluvium, cum dentium vacillatione & hebetudinis sensu, atque gingivarum exulceratione. Idem in pancreate, utpote glandula maxima salivali obtinere, ex analogia conjecturatur. Saliva interim cum auro tentata, nec minimam mercurii huc delati suspicionem fovet.

Theoria actionis hujus medicaminis nulla hucusque satisfecit. Eatenus specifice agit, quatenus modo penitus ignoto adhuc actiones suas medicas absolvit.

Usus mercurii multa circumspectione indiget. Plethora, gastrica colluvies, morbosa individuorum irritabilitas, habitus scorbuticus & magna in hæmorrhagias proclivitas, omnem mercurii usum vetant, nisi prius amoveri aut corrigi possint.

Dosis mercurialium in genere, ab initio semper cauta esse debet & refractissima, adscendendo paulatim sensimque ad generosiores portiones. Tali modo salivales glandulæ adsuescunt parumper huic medicamini, feliciterque salivatio præpeditur, quam præsentem jamjam inhibere difficillimum est. Tumultuarius mercurialium usus promptum ptyalismum ciet, omni intuitu practico superfluum, atque etiam tum primarum viarum, tum totius systematis morbos gignit. Scopo tamen anthelmintico, mercurialia purgantibus juncta lautius ea ex causa exhiberi possunt, quod una cum alvo statim iterum eliminentur. Sic Boerhaavius quindecim grana calomelis cum totidem resinæ jalapæ ad tæniam expellendam pro dosi exhibuit.

In variis mercurii præparatis, vires quodammodo speciales latere videntur, a modo præparandi multum dependentes, atque propterea etiam diversa dosi adhibendæ.

Aethiops mineralis sulphuris contenti gratia corporis superficiem libenter petit, & irritat, leves sudores movet, atque in morbis cutaneis, præcipue e causa syphilitica exortis, vires exserere laudatur. A grano uno, adscendendo usque ad decem de die exhiberi potest forma pulveris. Externe ad unguenta antiscabiosa. Raro adhibetur

Idem vere valet de cinnabari factitia, quæ tamen externo potius usui destinatur. In Wallachia fumigationes cum ea instituunt ad mala venerea sananda, salivatione autem citissima ex hacce methodo exoriunda *). Utilius topice fumus ille per infundibula ad ulcera admittitur. Coloris causa, nam aliam ignoro, aut fors sudatiunculæ pellendæ scopo, pulverem, inepte sic dictum antispasmodicum cinnabaris ingreditur, nonnisi a plebecula expetitum.

Mercurius nitrosus, sive solutio saturata mercurii in aqua forti, ad guttam unam, adscendendo ad duas & rarius tres ex cochleari aquæ destillatæ simplicis, semel in die propinatur. Præstantissimum remedium in lue venerea inveterata cum fædis ulceribus & ossium malis, propria post Selii aliorumque virorum experientiam pluries confirmatum. Arrideat hoc præparatum illis præ-

*) Vide meos aphorismos de morbo aphrodisiaco. Vien. 1784.

cipue nuperrimis, qui solo acido nitri syphilitidem fugare contendunt. Unguentum mercurjale citrinum Parisiense, unguento neapolitano sive mercuriali vulgari substitui certo possset, utplurimum vero in impetigine venerea laudes meretur.

Mercurius præcipitatus ruber causticas vires possidet, usui ergo externo destinatus. Ulceribus veneris impuris sarcoticis in pulvere caute inspergitur, atque cum butyro ad unguenta ophthalmica inservit. Protractus usus periculosus, etiam ptyalismum causat.

Mercurius cinereus & solubilis Hahnemanni pro usu interno admodum mite præparatum est, dulci mercurio analogum, salivationem minus prompte excitans; in morbis venereis omnibus summe laudabile. Incipiendo a $\frac{1}{4}$ grani, adscendendo ad dimidium, integrum in die & ultra, forma pulveris, cum liquiritia optime exhibetur; aut cum opio, si diarrhæam causaverit. Grana scilicet aliquot hujus mercurii cum scrupulis aliquot pulveris liquiritiæ præscribuntur, & in debitas doses dividuntur.

Mercurius sublimatus corrosivus in majori dosi atrocissimum venenum est, ventriculi inflammationem & erosionem sub diris vomititibus causans. Cauta vero & minima dosi exhibitus efficacissimam medicinam præbet, quam ex cura antisypliclitica male quidam proscribere voluerunt. Nocet tamen certo ægris sensilioribus, irritabilioribus, pulmone debili præditis, siccis, in tussim, hæmmoptysin aliasque hæmmorrhagias aut & alvi

profluvia pronis; febre lenta laborantibus, plethoricis, tumoribus inflammatoriis aut scirrhosis adfectis. Evitatis vero collisionibus hisce maximas omnino opus fert in omnibus morbis venereis, præcipue pertinacibus & inveteratis, ubi præparata mitiora antea adhibita inefficacia fuerunt; præsertim in morbis veneris ofsium, in morbis cutaneis & in cancro venereo, imo in malis quibusdam non venereis, lymphaticis, glandulosis, in rachitide & cachexia scrophulosa, cum aliis coindicatis remediis. Multum autem pendet felix hujus remedii succesfus a dosi, quæ variis ægris varie adcommodanda est. Adultis ab octava grani parte in die incipiendo, lentisfimoque gradu, si gravitas morbi postulet, ad dimidium, imo ad integrum granum diurno spatio, ast partitis vicibus præbendum, exhiberi potest; solicite tamen cavendo, ut sub vomitus aut cardialgiæ adparentia, dosis aut imminuatur, aut penitus pro aliquo saltem tempore — a remedio hocce abstineatur. Antidoton in alcalinis, oleosis, mucilaginosis.

Usus hujus pharmaci, utut Arabibus jam innotuerit, seculo tamen præcipue XVI. contra veneream luem divulgatus fuit, atque post Zwoelferum nostro ævo ab Inl. L. B. van Swieten denuo, uti promeruit, commendatus. Optimum vehiculum præbent potus mucilaginosi, decoctum hordei, infusum althææ &c. Swietenii autem methodus fuit, grana sex mercurii sublimati corrosivi in duodecim unciis spiritus frumenti difsolvere, hujusque solutionis cochleare bis in die exhibere, superpotato decocto mucilaginoso. Ast solutio hæc nauseosum metallicum saporem habet. Sunt ergo,

qui aquosam solutionem cum mica panis in mafsam pillularem redigunt, methodo Hoffmanniana, atque priori formæ præferunt.

Externe mercurius sublimatus corrosivus causticas vires exserit. In pulvere ulceribus inspersus adeo rodit, ut ipsas nonnunquam convulsiones producat. Quare in aquoso vehiculo adhibetur, nam multa aqua destillata dilutus, egregium externum abstergens & antivenereum remedium sistit. Granum semis aut & integrum in unciis decem aquæ destillatæ sulutum, cum admixta gummi arabici mucilagine, injectionibus in gonorrhæa & fluore albo inservit. Similis solutio in decocto emolliente aut cicutæ, fomentationes egregias in phymosi & tumoribus aliis venereis non nimis inflammatis, & cum melle gargarismata in angina venerea ulcerosa sistit. Duo grana sublimati in uncia aquæ soluta jam exserunt causticas vires. Aqua phagadænica cum aqua calcis parata, minus caustica est simplici sublimati solutione, siccantem potius vim & depurantem exserit; cum sale ammoniaco parata vero magis corrosiva est, excrescentias condylomatosas, ulcera cancrescentia & cariosa arrodit.

Mercurius præcipitatus albus ob vires causticas externe solummodo adhibetur, & facile est superfluus, ubi præcipitatus ruber tenetur.

Mercurius dulcis vero omnium fere mercurialium securifsimum est præparatum, & in praxi communifsimum, sed prompte salivationem causat & alvum movet. Frequentifsime non solum in omnibus morbis venereis, sed etiam in morbis cutaneis aliis, in tinea capitis, in morbis vasorum ab-

sorbentium, ofsium, lymphaticis, in tumoribus & ulceribus scrophulosis, in glandulis induratis, in hydrope, rheumatismo chronico & arthritide, atque in morbis verminosis adhibetur. In ipsis quoque nervosis malis, in hydrophobia, angina nervosa, in febribus intermittentibus, præcipue quartanis cum viscerum obstructione, in typho, in febribus variolosis & aliis contagiosis absente sthenica nota, quin & in inflammationibus hepatis felici eventu a nonnullis tentatus fuit. Externe sternutationem causat, dum naribus adtrahitur.

Incipiendo a grano semis, ad unum, duo & ultra in die adscendi potest cum hoc remedio apud adultos. Optima forma in pulvere cum aliis coindicatis; a quibus non decomponitur, aut in pilulis cum extracto, sed non austero.

Pilulæ mercuriales a scrupulo uno ad semidrachmam; scopo valide purgante, anthelmintico.

Terra foliata mercurialis sive hydrargyrum acetatum a recentioribus nonnullis medicis ad sanandos morbos venereos adhibitus fuit, sed peculiares vires non ostendit. Ulterioribus experimentis usus ejus confirmandus. Ad granum semis de die ab initio propinari potest. Idem de mercurio phosphorato valet, qui tamen promptiorem salivationem ciet, nec infrequenter nauseam & vomitum causat, quare ad $\frac{1}{4}$ granum ab initio exhibetur. Uterque optime forma pulveris præscribitur, v. g. cum cinnamomo &c.

Mercurius gummosus Plenkii ob rationes supra adlatas non est quidem efficacissimus,

attamen e foro medico minime exulandus. Mitissimo modo agit, longeque minus tubum intestinalem ingrate adficit, ac sales mercuriales. Etiam externe in ophthalmiis v. g. venereis aliis mercurialium formis præferri nonnunquam meretur. Pro drachma unius mercurii vivi subactione drachmæ duæ gummi arabici sufficiunt. Forma pillularis vel mixturæ, sed partitim exhibenda.

Unguentum mercuriale non solum ad sanandam luem veneream universalem, sed etiam præcipue ad lenienda mala topica venerea, bubones, tophos, paralysin veneream &c. adhibetur.

Usum præterea habet post morsum canis rabidi ad arcendam hydrophobiam, in tetano maxillarum, in tumoribus frigidis & oedematosis, in hepatitide spuria, & præsertim in phthiriasi, ad necandos pediculos & morpiones.

Pro dosi drachma semis aut scrupuli duo accipiuntur, semel quotidie repetenda eousque donec febris mercurialis, aut prima salivationis symptomata compareant. Vulgo in crure uno, dein altero ægri semetipsos inungere incipiunt, adscendunteque ad brachia, & denuo descendunt. Salivationem promptam hæc methodus causat.

Emplastrum mercuriale ad tumores venereos aut alios lymphaticos adplicatur. Diuturno usu salivationem quoque excitare dicitur.

Monogr. G. Lusson & Fr. Mambel estne lui venereæ hydrag. remedium? Par. 1575.

P. Seguyn & A. Rabault an lui venereæ hydrargyrosis? Par. 1598.

Bouionnier & R. Patin estne certa luis venea. Per solam hydrargyr. curatio? Par. 1649.

G. C. Kirchmeier de Mercurio. Viteb. 1660.
J. G. Trumphius de salivat. mercuriali. Jen. 1668.
J. G. Major de usu & abusu Merc. in lue vener. Kil. 1673.
P. Amman de usu Hydrarg. in phthirias. Lips. 1684.
J. Bing de Cinnab. & Merc. Hafn. 1691.
C. Vater de mercurial. medicam. Vit. 1695.
M. Pantelius de Merc. & ejus usu medico, operandi ratione. Reg. 1698.
Fr. Hoffmann de Merc. & medicam. mercurial. selectis. Hal. 1700.
— — — — von der giftig. Art der Mercur. Mittel.
G. W. Wedel de Merc. dulci. Jen. 1700.
R. J. Camerarius de Panac. mercur. Tub. 700.
J. J. Baier de Merc. crudi usu interno. Alt. 1704.
J. Vesti de usu & abusu medicam. mercur. Erf. 1705.
J. Renodæus & G. Arband an hydrarg. tutum luis indicæ alexiph.? Par. 1706.
J. Dapper de Mercurio. Hard. 1708.
H. Heinrici testim. & argum. med. pro Merc. Hal. 1713.
J. A. Hofsteter de Cinnab. natura. Hafn. 1714.
J. S. Henninger de medicam. merc. Arg. 1715.
J. C. Thileman de ab usu medic. Merc. Arg. 1715.
Chr. S. Scheffel de noxis in C. H. ex abusu merc. Gryph. 1718.
H. Ludolff de Merc. vivo. Erf. 1722.
J. Fr. Schromm do Aethiope miner. Alt. 1725.
Chr. Ditmar sistit astrum Merc. regeneratum in morb. chron. Reg. 1725.
J. G. Rauch de Merc. usu & abusu. Marb. 1727.
H. Kaav de Argento vivo. L. B. 1729.
J. Fourneau & O. Barfecnecht an tut. frictiones ex Merc. &c.? Par. 1732.
H. Boerhaave de Mercur. experimenta. Traj. 1735.
J. F. Hebenstreit de usu hydrarg. interno ad ment. recentior. Lips. 1735.

J. Fr. Herrenschwand historia Mercur. medica. L. B. 1737.
J. J. Kirsten de modo Merc. subl. purum a deprav. discern. Alt. 1737.
M. Plaget an lui vener. per fric. potius quam per suffit. &c.? Par. 1738.
J. G. Baier de Merc. in C. H. agendi modo. Alt. 1739.
G. de Rabours an in lue vener. parciores Merc. doses plenior. antepon.? Par. 1739.
M. Alberti de Hydrargyrosi. Hal. 1740.
J. H. Schulz de Mercur. usu in febr. quart. curanda. Hal. 1742.
van Well & Chr. Sanders de Merc. crudi usu interno. Duisb. 1742.
Abr. Swaine de Merc. Edinb. 1742.
Chr. G. Stenzel de Merc. dulci, præstantiss. pituitæ resolv. remedio. Vit. 1742.
Chr. Xav. Wabst tentam. phys. med. de Hydrarg.
J. Fr. Cartheuser de cinnabaris inertia. Fr. 1743.
Bertini del uso esterno e interno del mercur. Flor. 1744.
M. Alberti de singulari Merc. dulc. usu in desperatis quibusd. morb. Hal. 1745.
H. Ludolff de Merc. per alcali soluto. Erf. 1747.
F. X. Wanner ratio dulcificationis Merc. Arg. 1747.
G. Key Diss. on the effects of Mercury in human bodies. Lond. 1747.
S. P. Hilscher de Aethiope miner. Jen. 1748.
A. E. Buchner de modo agendi virt. resolventis Merc. 1748.
J. J. Stahl de Merc. in C. H. agendi modo. Erf. 1748.
J. Fr. Notter de actione Merc. in C. H. Arg. 1748
S. T. Quellmalz de hydrarg. viribus a sulph. in C. H. suspensis. Lips. 1749.
S. de Meza de nat. & effic. Mercur. L. B. 1749.
J. Boecler de Cinnabari factit. Arg. 1749.
Chr. L. Friis obs. circa Merc. usum intern. Hafn. 1750.

Chevalier & L. R. le Thieullier an per suffit. facilius quam per inunct. mercurial. morb. vener. cur.? Par. 1752.

C. Fr. Hundertmarck & C. Bergmann Disp. de Merc. vivi sal. mixt. efficacia. Lips. 1754.

A. E. Buchner de mercurial. cum salib. parat. effic. Hal. 1754.

— — — — de mercurial. in spina vent. Ibid.

— — — — in Cancro. Hal. 1755.

J. Chr. Stock de usu & abusu mercurial. Jen. 1754.

H. M. Missa, ergo lui vener. Hydrarg. camphorat. Par. 1756.

C. F. Kaltschmid de istis merc. partibus quæ miasma vener. destruunt. Jen. 1757.

P. Owen de Merc. Edinb. 1757.

A. E. Buchner de Merc. sublim. cor. usu med. interno. Hal. 1758.

J. Bona hist. aliquot curation. Merc. subl. cor. perfectarum. Ver. 1758.

J. Fr. Cartheuser de suspectis quibusd. pharmac. salino mercurial. Frf. 1759.

Chr. E. Lot de arthrit. & mercurial. effectu. Hal. 1759.

B. le Clerc an hydrophob. hydrargyr.? Par. 1759.

P. J. Hartmann Martis cum Merc. conjunct. Hal. 1759.

A. Thomson de Merc. operat. med.

C. Oer de Hydrang. natura, virib. & usu.

J. S. T. Stoll de Mercur. in solidis C. H. hærenti noxa. Arg. 1760.

S. Aurivillius de spiritu vini mercuriali. Ups. 1760

F. C. Oetinger Cinnabaris exul, in Pharmacopolium denuo redux. Tub. 1760.

A. N. Hagg de hydroph. ejusq. per mercurial. curat. Arg. 1761.

J. R. Spielmann de Hydrarg. præparat. in Sanguinem effectibus. Arg. 1761.

G. E. Zannini Merc. sublim. vindiciæ. Rom. 1761.

Ad. Nietzky de Cinnabari. Hal. 1761.

J. G. Wallerius de Cinnabar. in C. H. effectu, Ups. 1762.
A. Augustini stranguria aliquando Mercur. effectu. Venet. 1763.
G. Fr. Venet & J. Fr. Drilhon de innocent. utilit. præstant. hydrargyrosis in curat. morb. venereos. Pisc. 1764.
Gilbert an lui vener. Merc. corros.? Par. 1765. r. Vicq. d' Acyr.
J. J. Plenk meth. nova argent. vivum ægris exhibendi. Vien. 1766.
J. M. Hoffmann de Merc. sublim. virt. in affect. cutaneis. Arg. 1766.
Davison de solut. Merc. vivi in acido vegetab. L. B. 1767.
J. Fr. Thirion an Mercur. adhibendi methodi multiplices? Erf. 1768.
W. Munichs Diss. de lue vener. & exam. remedior. ill. Swieten & Plenkii L. B. 1769.
P. J. Hartmann Cautiones nonnullæ ad liquor. merc. Plenkiani usum spectant. Frf. 1769.
— — Progr. de liquor. merc. Plenkiani virt. anthelm. Fr. 1770.
C. C. Krause de virib. medicam. Hydrarg. Lips. 1773. 1783.
Watson von der gut. Wirk. des Calom. gegen Verst. der monatl. Reinigung.
Lind vom Gebrauch des Merc. in Entzünd. und in der Ruhr.
A. Hosty an herpeti sublim. corros.? Par. 1773.
P. J. Hartmann de Merc. dulci martiali. Fr. 1773. r. Berndt.
— — de circumsp. Mercurial. injectione. Fr. 1779. r. Hertz.
C. G. H. Moery de actione Merc. in C. H. salubri & noxia. Duisb. 1774.

E. A. Nicolai de virib. ac usu Mercurial. Jen. 1775.
r. Müller.
Fr. J. G. Schroeder de Mercurial. usu in medic. Marb. 1775.
F. B. Darſses de Hydrarg. usu in lue vener. Monsp. 1776.
G. Bickrr de recto atq. tuto Merc. subl. corros. in variis morbis usu. Gott. 1777.
P. Demetrius Epist. de medicis Cinnab. viribus. Lips. 1778.
Th. Fowler de meth. medendi variolis auxilio Mercurii. Edinb. 1778.
J. J. Zimmermann obs. pract. circa virt. Merc. Arc. 1779.
Wagwiz de Merc. dulci.
Fr. Schoenmezel fata antim. & Mercurii. Heid. 1780.
G. A. Langgut Progr. de Merc. dulci, potentiſs. hydrop. domitore. Vit. 1780.
W. Wykyſsaly Diſs. de Merc. subl. corros. Vien. 1780.
D. Ponyrka de anathymiasi Cinnabaris. Arg. 1780.
J. G. Baumer Progr. de Hydrarg. Gieſs. 1782.
Horn von den verschied. Method. das Quecksilb. in vener. Krankh. zu geben. 1782.
E. G. Baldinger histor. Mercur. & mercurial. med. Gott. 1783. 1785.
Fr. A. Clad de proscribendo potius quam præscrib. Merc. subl. corros. Arg. 1784.
Fr. Jacobi descriptio methodi mercur. subl. tutius. copiosiusque exhibendi. Monast. 1785.
J. C. T. Bolke de Mercur. tartaris. Gott. 1787.
C. H. Scherholz de Mercur. usu in variolis Gott. 1788.
Hahnemann Unterricht über die vener. Krankheit. nebst einem neuen Quecksilb. Præpar. 1789.

E. Platner de mercurial. quibusd. pharmacis. Lips. 1790.
B. Mayer Diss. super Mercurial. in morbo vener. actione & usu. Marb. 1790.
R. Makintosh de Mercurii in lue vener. actione. Edinb. 1790.
F. Schaeffer Diss. de Mercurial. quibusd. pharmac. eorumq. virt. (præcipue de Merc. phosphor). Lips. 1790.
C. Reil de medicam. mercurial. varia indole. Hal. 1791. r. C. G. Borner.
C. Ch. G. Amelung de Mercur. solub. Hahnemanni. Jen. 1792.
Fr. Hildebrandt Diss. sistens dulcis Merc. laudes. Erl. 1793.
— — Geschichte des Quecksilb. 1793.
Herold Diss. sistens quæd. momenta de usu Merc. phosphor. Schaefferi. Præs. Gruner. Jen. 1793.
J. Fr. Schmidt Diss. de Hydrarg. phosphor. Erf. 1794.
J. D. Bauer de Mercur. virtute antisyphilit. e caus. secretionis animal. explicanda. Frf. 1794.
Göttling chem. Bemerk. über das phosphor. Quecksilb. und den Hahnemann. schwarzen Quecksilb. Kalk. 1795.
Chr. L. Hoffmann von den Arzneykräften des rohen Quecksilb. des Sublim. des abgesüfsten Quecks. &c. Mainz. 1796.

Mezereum *Offic.*

Seidelbast.

Daphne Mezereum Botan. Daphne floribus sessilibus ternis caulinis, foliis lanceolatis deciduis Lin. Frequens in sylvis Germaniæ frutex, primo initiente vere floribus purpureis oblectans,

Pars usualis. *Cortex* trunci vel ramorum & radicis vere ineunte colligendus, tenuis, tenax, rubellus, cuticula subtili tectus, saporis ad primum gustatum vix acris, deinde vero intense ardentis.

Vires interne venenatæ, causticæ, acriter purgantes & emeticæ, attamen sub cauto usu cum irritamento resolventes, in tophis & doloribus osteocopis venereis; in rheumatis mis chronicis & morbis cutaneis e simili causa, non sine fructu tentatæ; summe vero illis periculosæ, qui pulmonum quadam labe laborant. Externe rubefacientes, inflammantes, exulcerantes, scopo irritante, revulsorio ut ajunt, & avocante humores ad dissita loca, in malis chronicis, præcipue oculorum, aurium, in paralysi, rhemate pertinaci & post fonticulos exsiccatos adhibendæ.

Dosis. Corticis, præcipue e radice desumti & recentis, drachmæ duæ & ultra in tribus libris aquæ cum liquiritia coquuntur, ad remanentiam librarum duarum. Hujus decocti libra semis ab initio interne exhibetur, cautissime autem adscendendo, ne vomitus excitetur. Externe frustula corticis incertæ magnitudinis, aqua vel aceto emollita, atque cuti adligata, reiteratis vicibus ad ipsissimum locum adplicantur, donec ulcus formetur.

Monogr. Archange le Roi, sur l'usage de l'ecorie de Garou. Par. 1763.

— — Deutsch. Strasb. 1773.

P. J. Hartmann super Daphnes gnidii usu epispastico. Fr. 1780. r. Haschke.

Engel quædam de usu Cort. Mezer. externo. 1781.

C. G. Justi Diss. de Mezereo. Marb. 1798.

Millefolium *Offic.*

Schafgarbe.

Achillea Millefolium Botan. Achillea foliis bipinnatis nudis, laciniis linearibus dentatis, caulibus sulcatis Lin. Planta perennis, in montosis, ad vias, ad prata & in pascuis crebra.

Pars usualis. *Herba florescens* colligenda, folia habens bipinnata lobulis dentatis, longa, sessilia, in pagina inferiori hirsuta, viridia, odoris balsamici, saporis subaromatici, subamari, subadstringentis.

Vires, *Diorcoridi* & *Cratoni* jam non incognitæ, leniter stimulantes, roborantes, a nonnullis anodynæ laudatæ, specialius in hæmmorrhoidibus dolentibus, in hæmoptysi & aliis hæmmorrhagiis a fluxu, hæmmorrhoidali subpresso aut a laxitate, commendatæ.

Dosis uncia semis vel & integra pro libra infusi. Inservit quoque herba speciebus pro potu theato.

Monogr. C. J. Lange de Millefolio. Alt. 1714.
J. S. Henninger de Millefolio. Arg. 1718.
Fr. Hoffmann de Millefolio. Hal. 1719
Maumery von den antispasm. Kräft. der Schafgarb.
Normand de Soigny von den Wirkungen der Schafgarbe.

Millepedes *Offic.*

Assel.

Oniscus Asellus Lin. Insectum apterum, corpore in parte supina acuminato, lateribus serratis, cauda acuminata bifida, antennis duobus sera-

ceis, pedibus 14, cute quasi squamosa e novem articulis inæqualibus constanto, quibus sese, dum tanguntur, in orbem piluliformem contrahere possunt, coloris pallide cinerei, infra albicantis, odoris debilis ingrati, saporis nauseosui, subsalsi. Scatent hæc insecta gelatina animali. Occurrunt per omnem fere Europam, atque in locis humidis, in cellis & sub lapidibus viva colliguntur. Vel viva in usum trahuntur pro succo exprimendo, vel ablutione ab adhærentibus sordibus purgata, in vino albo suffocantur, & vino decantato siccata in vase clauso adservantur. Uncia una drachmas fere duas succi expressi largitur. Jam a Dioscoridis temporibus inter pharmaca locum injuste defendunt.

Vires imputatæ solventes & diureticæ, in hydrope abdominis & pectoris inepte laudatæ.

Dosis. Succus ex 50 — 100 expressus cum uncia mellis, aut duabus unciis vini exhibetur. Nauseosum medicamen & inutile; atque omnis ejus effectus fors ex nausea proficiscitur. Pulvis ad scrupulum unum, inefficacissimus testante Cullenio.

Monogr. G. Franci Oniscographia s. de Asellis. Heidelb. 1679.

J. S. Henninger de Milleped. Arg. 1711.

Dan. Nebel de Milleped. Haid. 1716.

J. Fr. Depre de Milleped. form. & Lumbricis. Erf. 1722.

J. Fr. Cartheuser de Milleped. Frf. 1771.

Minium vide Plumbum.

Morus *Offic.*

Maulbeeren.

Morus nigra Botan. Morus foliis cordatis scabris Lin. Arbor originis orientalis, in nostris provinciis copiose culta.

Pars usualis. *Fructus* ovato oblongi, ex copia baccularum vel acinorum quadrilobatorum, receptaculo communi adfixorum, seminaque triangulari ovata includentium adgregati, ex rubro nigricantes, succo nigroviolaceo divites, saporis acido dulcis.

Præparata. *Roob Mororum*, ex succo baccarum cum sexta parte sacchari inspissato. Syrupus Mororum ex succo recenter presso cum duplo sacchari unica ebullitione coctus.

Vires refrigerantes, solventes, subadstringentes. Præcipue in aphthis oris & linguæ ariditate roob & syrupus per se illiniuntur, aut cum spiritu vitrioli aliisque necessariis gargarismata intrant.

Dosis minime periculosa. Syrupus & roob facile ad unciam unam vel duas.

Moschata nux vide Macis.

Moschus *Offic.*

Bisam.

Moschus moschiferus Lin. Animal quadrupes ex classi mammalium, & genere fere cervino, tres circiter pedes longum, capite lupino & dentibus caninis duobus magnis ex maxilla superiori

extra os exporrectis, atque cute variegata instructum. Habitat in Tartariæ, Sibiriæ; Chinæ & Indiæ sylvis ac locis montosis.

Pars usualis Substantia grumosa, unctuosa, atrofusca, in folliculis prope umbilicum collecta, Moschus dicta. Hocce folliculum extus pilosum, infra umbilicum situm, in maribus ovum columbinum adæquat, & in sua cavitate nucistam continere valet, a testiculis solummodo per membranam separatur, in fæmellis vero seorsim pendet. Interiore superficie adhuc specialem habet pelliculam, moschum cingentem, in qua præter vasa sanguifera, complures glandulas, procul dubio ad moschi secretionem facientes invenire licet. Optima Moschi species in folliculis tenuibus, subrotundis, ovum columbinum magnis, extus pilis brevibus rufis obsessis, intus membrana tenera vestitis; ex India orientali, ex regno Tunquin & Sinensi adfertur, quorum substantia interior sicca; granulosa, unctuosa, obscure rubra, aut & ferrugineo nigrescens sanguinem siccatum fere æmulatur, perpaucis frustulis nigris intermixtis, saporis amaricantis, odoris peculiaris fragrantissimi, summe diffusibilis, proinde vase optime clauso adservetur. Genuinus & probus moschus masticatus & cultro supra charta deductus nihil arenosi ostendat, particulis micet resinosis & flavescat, laminæ candenti impositus, totus fere, grato odore evaporet, atque cum alcali fixo tritus, odorem spargat urinosum. Plus in aqua, quam in spiritu vini solubilis est. Moschus moscoviticus, odore debiliori, pilisque in vesica al-

bis dignoscendus, longe vilior est priori. Fraudulenta imitatione artefactus quoque deprehenditur.

Vires summopere stimulantes, summe diffusibiles & penetrantes, sudoriferæ, nervinæ, antispasmodicæ, adhibendæ cum maximo fructu in febribus cum debilitate vitali & statu sic dicto nervoso, subsultu tendinum, singultu &c. in exanthematibus, præcipue variolis ob vim vitalem languidam segniter prorumpentibus, in epilepsia, mania, paralysi & tussi convulsiva. In aliis nervosis malis, in tetano & hydrophobia non omni experientia confirmatæ.

Dosis a granis quinque ad triginta & ultra de die, prouti indicatio petit; sed partitis vicibus. Optima forma in pulvere cum saccharo, opio, camphora &c. Rarius in clismatibus ad grana viginti, quadraginta. Dantur idiosyncrasiæ, quæ moschum minime ferunt.

Monogr. J. Th. Schenk de Moscho. Jen. 1667.
P. Fr. Gmelin Specif. antidot. advers. mors. can. rabidi, febr. malign. &c. Tub. 1750.
B. L. Tralles de Moschi limitand. laudibus & abusu. Vratisl. 1783.
J. B. Werner de Moscho. Gott. 1784.
G. G. Reinick de Moscho natur. & artefacto. Jen. 1784.
J. G. Zinck hist. natur. Cast. & Moschi. Lips. 1786.
B. F. Grofs dis. de Moscho. Tub. 1790.
Sal. Alberti in Orat. Norimb. 1585. atque D. Ultraleus, Corn. Herls & Jac. Landsberg de eod. argum. in divers. fragm.

Mustela fluviatilis *Offic.*

Aalruppe.

Gadus Lota Lin. Piscis anguilliformis, non squamosus, fluviatilis. Ejus hepar contritum ac sacculo lineo inclusum, suspenditur in vitro oblongo, cineribus calidis imposito. Oleum inde in vitrum subpositum effluens servatur, sub nomine liquaminis hepatis mustelæ fluviatilis.

Usus externus, ad maculas corneæ detergendas, guttata instillatione semel vel bis in die.

Myrobalanus citrina *Offic.*

Myrobalanen.

Fructus arboris ignotæ (an Terminaliæ species?) oblongo rotundi, pollicem longi, rugosi, quinque prominentiis instructi, coloris flavescentis. Ex China Malabaria, Java, Madagascar adferuntur. Occurrunt variæ species; Myrobalani scilicet emplicæ, chebulæ, belliricæ, indæ & citrinæ. Posteriorum solummodo cortex pulveratus officinas hodie intrat, saporis adstringentis, stiptici, exsiccantis.

Vires roborantes, in diarrhæa a laxitate quondam multum laudatæ; in majori dosi purgantes. Obsoletum medicamen ob meliora alia.

Dosis a granis quindecim ad viginti in pulvere. Drachma una adultos leniter purgat. In decocto drachmæ duæ vel tres. Etiam externe ad recti intestini prolapsum.

Myrrha *Offic.*

Myrrhen.

Succus gummiresinosus ex stirpe adhuc indeterminata, quam pro Mimmosæ specie habent, illico postquam profluxerit aëris ad tactu indurescens, in granis sive lacrymis diversæ magnitudinis & figuræ ex Africa, præcipue Aethiopia, Arabia & Aegypto adlatus, antiquissimo Dioscoridi jam notus. Horum granorum selectiora sub nomine Myrrhæ rubræ electæ veniunt, sunt fragilia, subpellucida, fracturæ splendescentis, manui calidæ nonnihil adhærentia, coloris fulvi aut rufi, odoris specifici, fragrantis, saporis aromatici valde amari, pungentis; masticatione mollescunt, dentibus adhærent & salivam lacteam reddunt, difficulter inflammantur, longe plus gummosi, quam resinosi possident, olei ætherei parum insidet. Adulterantur gummi cerasorum & bdellii frustulis.

Præparatum. *Tinctura Myrrhæ*, vel cum, vel absque sale tartari in sexduplo spiritus vini digestæ. Posterior simplex dicitur.

Ingreditur electuarium diatesseron, pilulas Rufi, balsamum schauerianum, & Commendatoris, spiritum & tincturam mastiches compositam, elixirium proprietatis dulce, unguentum digestivum.

Vires interne stimulantes, roborantes, in adfectionibus hystericis eximiæ; externe irritantes, resolventes, antisepticæ, in carie, ulceribus scorbuticis, in gangræna, & ad dentifricia.

Dosis a granis quinque ad decem & ultra in die forma pilulari. Externe per se in pulvere adhibetur, ad gangrænam, cariem, ulcera fætida & verminosa, vel emplastri aut unguenti forma. Tinctura vel sola, vel ad aliquot drachmas in fomentationibus aut gargarismatibus cum aliis.

Monogr. Sam. Polisii Myrrhologia.
A. H. Fasch de Myrrha. Jen. 1676. r. Becker.
J. Fr. Carthcuser de eximia Myrrhæ virt. med. Frf. 1746.

Myrtillus *Offic.*

Heidelbeere.

Vaccinium Myrtillus Botan. Vaccinium pedunculis unifloris, foliis serratis ovatis deciduis, caule angulato Lin. Fruticulus in sylvis nostris frequens.

Pars usualis. *Fructus* mense Julio vel Augusto maturescentes, baccæ scilicet globosæ, saturatissime cæruleæ, umbilico duplici concentrico notatæ, quadriloculares, multis seminibus minimis, atque succo purpureo repleti, saporis acido dulcis, simulque subausteri. Siccatæ plus adstringunt.

Præparatum. *Syrupus Myrtillorum* e succo recenter presso cum duplo sacchari.

Vires refrigerantes, leviter adstringentes. Syrupus maxime propter gratiam saporis & coloris mixturis antifebrilibus ad unciam unam alteramve additur. Non misceatur cum terra absorbente.

Nasturtium aquaticum *Offic.*
Brunnenkrefse.

Sisymbrium Nasturtium Botan. Sisymbrium siliquis declinatis, foliis pinnatis, foliolis subcordatis Lin. Planta perennis ad fontes & rivulos indigena, per totam hyemem viridis.

Pars usualis. *Herba recens* foliis pinnatis cum impari, foliolis cordato subrotundis, crafsis, succosis, glabris, læte viridibus, saporis subacris, amaricantis. Proxime accedit cochleariæ, attamen paulo mitior est. Innatum salem alcalinum non pofsidet, sed olei efsentialis pauxillum.

Præparatum. *Conserva Nasturcii* ex foliis recentibus cum triplo sacchari.

Vires leniter roborantes, antiscorbuticæ, resolventes, in obstructionibus viscerum & glandularum atque in hydrope ex hac causa initiente, summe commendabilis.

Dosis. Succus exprefsus ab unciis duabus ad tres, per se, cum sero lactis, aut aqua soteria.

Conserva ab uncia una ad tres in die.

Monogr. Th. Zwingeri examen plantarum Nasturcinarum. Bas. 1714.

Nicotiana, Tabacum *Offic.*
Taback.

Nicotiana Tabacum Botan. Nicotiana foliis lanceolato ovatis sefsilibus decurrentibus, floribus acutis Lin. Planta annua, in America sponte crescens, in Europa ubivis fere nunc crebro culta.

Anno 1560 a Joh. Nicotio ex insula Tabago in Galliam primo transmissa.

Pars usualis. *Folia* lanceolato ovata, magna, sessilia, integerrima, læte viridia, saporis acris, nauseosi, odoris peculiaris fortis & ingrati.

Vires intere emeticæ, narcoticæ, in majori dosi nauseam, vomitum cum vertigine, remulentia & sapore inferentes, effectu ad 24 fere horas perdurante; in cauta dosi potenter resolventes, ast raro adhibitæ. Externe consimiles, irritantes, sternutatoriæ, sub masticatione salivam prolicientes. Infusum ex drachmis duabus foliorum tabaci irritantissimum enema, in asphyxia, hernia incarcerata, ileo morbo &c. Itidem fumus nicotianæ mediante instrumento clismatico simili indicatione adhibetur. Fomentum e foliis in tumoribus frigidis non sine fructu adplicatum fuit. Neque negligendæ externæ horum foliorum vires antiscabiosæ & antiphthiriace.

Monogr. J. Neandri & Alstedii Tabacologia. Batas. 162v.
Aeg. Everarti Comment. de herba Panacea, Tabaco.
J. N. Baumann de Tabaci virt. usu & abusu. Bas. 1629.
J. Franck de præclar. herb. Nicot. virtut. Ups. 1633.
J. A. Friderici de Tabaco. Jen. 1667.
J. Magnenus de Tabaco. Amst. 1669.
J. D. Dorsten de Tabaco. Marb. 1682.
J. Tappius de Tabaco, oratio. Helmst. 1689.
B. Albin de Tabaco Frf. 1695.
Gu. Fagon an ex Tabaci usu vita brevior? Par. 1699.
H. Ludolff de Tabaci noxa post past. Erf. 1723.
A. G. Plaz de Tabaco sternutator. Lips. 1727.

N. Braun de fumo Tabaci. Gifs. 1728.
J. J. Stahl de Tabaci effect. salut. & nociv. Erf. 1732.
H. Löhstör de Nicotiana vera, ejus præp. & usu. Hafn. 1738.
J. L. de Garbenfeld de Tab. usu & abusu. Arg. 1740.
J. Juncker de masticatione Tabaci. Hal. 1744.
G. L. Beck de suctione fumi Tab. Alt. 1745.
A. E. Buchner de genuin. virib. Tab. Hal. 1746.
J. Herment an post cibum fumus Tab.? Par. 1749.
Chr. C. Reichel de Tabaco. Vit. 1750.
G. A. Langguth de immoder. Tab. abusu. Ups. 1750.
J. M. de la Sone & J. B. Bariolle ergo Tabacum lentum homini venenum? Par. 1751.
S. Petitmaitre de usu & abusu Nicot. Bas. 1756.
J. E. A. Koegl Diſs. de usu & abusu Nicot. Oenop. 1769.
Tournay an asthmati fumus Tab.? Nanc. 1773.
de Meza de Nicot. usu nox. & salut. Hafn. 1775.
Fr. J. Cuntira de virib. med. Nicot. Vien. 1777.
R. Hamilton de Nicot. virib. in medic. Edinb. 1780.
Mundi, Ettmüller, Carri, Thebesius, Piso, Monardi, Schäffer, Clusius, Schroeder, Zwölffer, Paschi, Hermann, Kerkring, Boerhaave, Cartheuser, Kestner de eodem argum. in divers. oper. & fragm.
Sisteri epistola de machinis fumiductoriis curiosis.
Valentini diss. de clistere Tabacino.

Reliqui in Chirurgicis & Diæteticis.

Nitrum *Offic.*

Salpeter.

Nitras lixivæ Chem. Alcali vegetabile nitratum, sal neutrum perfectum, ex acido nitri & sale

alcalino fixo vegetabili compositum, crystallos formans prismaticas, sexangulares oblique truncatas, majores, limpidas, nitentes, saporis acris amaricantis cum frigoris sensu in lingua, quem sensum frigoris adaucti etiam aquosa solutio prodit. Aquæ frigidæ septem, fervidæ unam fere partem pro perfecta solutione requirit, in aëre non variatur a volæ manus calore difsilit, in igne aperto deflagrat & nonnisi in clauso liquescit, cum inflammabilibus corporibus detonat.

Rarius Nitrum in naturæ sinu purum & perfectum occurrit; plurimum artis auxilio, ex terris nitro gravidis, aut cineribus lignorum aëri diutius expositis extrahitur. Propterea illud, quod venale est, terreis aliisve salibus, sale præsertim digestivo inquinatum est, atque pro usu medico & pharmaceutico nonnisi depuratum adhibetur. Constat ex 0, 49 alcali vegetabilis, 0, 33 acido nitri, & 0, 18 crystallysationis aqua.

Præparata. *Spiritus nitri fumans*, acidum nitrosum concentratum, oleo vitrioli optimo cum duplo nitri siccati mixto destillatione obtentus; residuo in retorta arcano duplicato. Hicce Spiritus cum duplo aquæ destillatæ, aquam fortem sistit, acidum nitricum dilutum, aut Spiritum nitri acidum simpliciter; qui etiam sub ipsa destillatione spiritus nitri fumantis & adparatu Woulfiano in excipulum tertium s. q. aquæ destillatæ provisum obtinetur.

Spiritus nitri dulcis ex aqua forti cum quadruplo spiritus vini rectificatissimi mixta abstrahendus. Sit limpidifsimus, odoris pomorum borsdorfianorum, saporis dulcis amariusculi, cum lixi-

vio salis alcalini minime effervescat. Eo melius censetur, quo plus gummi resinæ solvit. Ingreditur tincturam visceralem.

Nitrum præparatum sive lapis prunellæ paratur injiciendo duodecimam florum sulphuris partem ad nitrum fusum, in rotulas dein formandum. Sic privatur nitrum crystallisationis aqua, durius atque minus solubile evadit.

Magnesia nitri, vide M.

Ingreditur denique nitrum pulverem antispasmodicum.

Vires & dosis. *Nitrum* vires possidet refrigerantes, antisthenicas, quodammodo diureticas, sanguinis rubram partem — extra corpus saltem — resolventes, & propterea adtenuantes imputatas, in omnibus febribus vere inflammatoriis eximias, nocivas vero in omni debilitate & humorum discrasia. Empirice laudatur in chronicis ulceribus.

Dosis a scrupulo uno ad drachmam semis & integram semel vel bis in die, optime forma pulveris partitis vicibus, qui durante solutione actualiter refrigerat, aut in infuso, decocto, emulso, gargarismate, clismate, fomento. Nitri præparati rotula in siti sthenica aliquoties in die exhibetur ægris, ut in ore difluat.

Spiritus nitri fumans externe ad cariem, excrescentias & verrucas destruendas adhiberi posset, sed ob tutiorem lapidis infernalis aliorumque causticorum adplicationem, usum fere nullum habet. Spiritus nitri acidus a nuperis in lue venerea non absque effectu tentatus; etiam in febribus malignis ad guttas quinquaginta de die

aquæ instillatas, ab Hahnemanno jam efficax deprehensus fuit, quemadmodum salis spiritus juxta Reichiana experimenta.

Spiritus nitri dulcis vero vires egregias excitantes, stimulantes, nervinas, antispasticas, carminativas, diureticas possidet, atque vehiculo aquoso ad plures guttas — prouti circumstantiæ petunt — a decem ad triginta & plures instillatus, in morbis nervosis & spasticis; in omni vera virium prostratione, tum & in locali debilitate varia, præcipue primarum instantiarum eximios effectus exserit. Moschum dissolvit, & vires ejus exaltat.

Monogr. H. Conring de sale, Nitro & alum. Helmst. 1672.
Fr. Hoffmann de Nitro, ej. nat. & usu med. Hal. 1691.
— — — — circa Nitrum observat. Hal. 1712.
E. Goeshen diss. de Nitro. L. B. 1706.
Ch. Harder de Nitri nat. & usu in medic.
Th. Zwinger de Nitro, ej. nat. & usu in med. Basil. 1708.
A. Herrmann epist. de usu & abusu Nitri.
R. S. de Klettenberg de Nitro. Alt. 1716.
Chr. A. Jacobi de medicam. nitrosis. Hard. 1718.
R. J. Camerarius de Nitro. Tub. 1718.
J. W. Creuder de Nitro. Duisb. 1723.
Th. Hirsch de Nitro. Vien. 1732.
J. R. Brandmüller de Nitro. Basil. 1737.
Ch. Rettel de Nitro. L. B. 1740.
J. Boecler an Nitrum sanquin. resolv. Arg. 1741.
J. Juncker de Nitrosorum agendi modo. Hal. 1745.
J. Fr. Cartheuser de amplis. Nitri depur. usu. Frf. 1747.
J. G. Wallerius de Nitri orig. & natura. Ups. 1749.
B. J. de Buchwald analys. Nitri. Hafn. 1752.
J. H. Kniphof de Nitro. Erf. 1753.

H. P. Jurch de acido nitri vinoso. Erf. 1753.
J. G. Krüger de nitri virtute temper. Helmſt. 1754.
P. C. Prosky de Nitro. Vind. 1765.
Delius de moderando usu Nitri. in febr. Erl. 1772. r. Selig.
Fr. Mutzer de Nitro. Vien. 1776.
G. Fr. Reuling casus nonnulli de ulcer. pedum, & exim. Nitr. effic. Giess. 1778.
J. J. Doerner de acido Nitri. Ing. 1779.
J. J. Burg de Nitri effectibus in C. H. Giess. 1780.
J. H. Pfingsten Nitri hodierni hist. atq. propriet. Helmst. 1781.

Olea *Offic.*

Oehlbaum.

Olea europæa Botan. Olea foliis lanceolatis integerrimis, racemis axillaribus coarctatis Lin. Arbor Europæ meridionalis.

Pars usualis. *Oleum olivarum* ex fructibus preſsum, quod, si bonæ notæ est, pellucidum, album vel subflavum, odoris leviſsimi, saporis subdulcis, blandi, minimo frigore in maſsam sebaceam albam cogendum. In Italia, Gallia, Hispania paratur. Rejiciatur omne rancidum pro usu medico, etiam illud, quod oleo lini vel raparum contaminatum, atque non raro saccharo saturni edulcoratum est.

Vires interne relaxantes, emollientes, involventes, post venena ingesta, in colica saturnina & pertinaci alvi constipatione summe laudabiles, specificæ post morsum viperarum. Externe ad clismata, unguenta, linimenta & emplastra; inunctum nec non interne simul exhibitum in febri pe-

stilentiali nuper laudatum fuit; inepte quondam in hydrope.

Monogr. Reynardson. de medicata olei virtute. L. B. 1718.
A. Vater de olei olivar. efficacia contra mors. canis rabiosi. Vit. 1736.
— — — de antidoto novo advers. Viperar. mors. Ib eod.
— — — virt. olei Oliv. advers. mors. animal. venenat. 1751.
J. H. Schulze de oleo Olivarum. Hal. 1740.
G. Ph. Lehr de Olea Europæa. Gott. 1779.
L. Conte de Berchtold descrizione del nuovo rimedio contra la peste Vien. 1797.

Oleum Vitrioli vide Vitrioli oleum.

Olibanum, Thus *Offic.*

Weyrauch.

Juniperus lycia Botan. aut & fors Juniperus thurifera; frutex saltem consimilis Arabiæ & Aethiopiæ indigena, succum e cortice exsudantem gummoso resinosum largitur, qui est Olibanum officinarum. Prostat in granis variæ magnitudinis & figuræ, sæpe invicem cohærentibus, semipellucidis, siccis, fragilibus, ex albo subluteis vel rubellis, saporis balsamici, amari, subacris, odoris suavissimi, resinosi. Masticatum dentibus adhæret, facile inflammatur odore gratissimo, cum aqua lactescit, in alcohole vini maximam partem solvitur, aut potius emollitur. Ex Arabia & Aethiopia per Meccam Cairam, porroque maxima pars Massiliam adlata ad nos advehitur. Contaminatio cum resina

pini vel thure vulgari, colore magis rufo & variegato, atque odore terebinthinaceo dignoscitur.

Ingreditur emplastrum defensivum rubrum & oxycroceum, pulverem fumalem, balsamum schauerianum & commendatoris, unguentum digestivum.

Vires interne stimulantes, roborantes, sed vix usitatæ; externe vulnerariæ, discutientes. Frequentissime forma suffimigii.

Dosis interne a granis decem ad triginta.

Ononis *Offic.*

Hauhechel.

Ononis spinosa Botan. Ononis floribus racemosis solitariis, foliis ternatis, ramis spinosis Lin. Planta frutescens indigena, ad vias & in aridis vulgaris.

Pars usualis. *Radix* primo vere colligenda & siccanda, cylindrica, digitum crassa, pedem & ultra longa, ramosa tenacissima, lignosa, extus fusca, intus alba, odoris nullius, saporis mucilaginosi, subdulcis, subnauseosi.

Præparatum. *Syrupus ononidis* loco quinque radicum antiquioris Dispensatorii, ex anaticis partibus radicis hujus & fæniculi decoctis, atque saccharo addito in justam consistentiam inspissatio.

Vires leniter resolventes, diureticæ.

Dosis in decocto uncia una radicis pro libra aquæ. Syrupus ad plures uncias. In pulvere radix ad drachmam unam bis vel ter de die; sed raro præscribitur.

Opium, vide Papaver album.

Origanum *Offic.*

Wohlgemuth.

Origanum vulgare Botan. Origanum spicis subrotundis paniculatis conglomeratis, bracteis calice longioribus, ovatis Lin. Planta perennis in montibus & ad dumeta frequens.

Pars usualis. *Herba* siccata, foliis ovatis, parvis, integerrimis, breviter petiolatis, in margine pilosis, læte viridibus, Majoranæ similibus, odoris balsamici grati, saporis aromatici, subamaricantis.

Præparatum. *Oleum herbæ Origani* destillatum, valde acre, odoris ejusdem ac herba, exigua quantitate in planta contentum.

Ingreditur aquam vulnerariam cum vino, balsamum saxonicum, species resolventes.

Vires interne stimulantes, externe resolventes, discutientes. Interne raro adhibetur. Oleum ad dentes cariosos dolentes vulgo expetitur, gossypio excipiendum. Cariem quoque ossium coercere dicitur.

Dosis uncia semis herbæ in infuso.

Ostrea *Offic.*

Auster.

Ostrea edulis Lin. Oceani civis, animal ex classe vermium & genere testacearum, nobilissimus cibus, habitans in pomicilio calcareo bivalvi, sive testis, quæ officinas intrant, ostracoder-

mata dictis, inæquivalvibus, semiorbiculatis, magnitudine & colore variis, extus imbricatis, undulatis, & cinereo plus minus nigrescentibus, intus nitidis, albis. Mundatæ ac in pulverem tritæ, terram calcaream sistunt; cujus vires acidum absorbentes. Externe ad depurandos dentes mucosos tutissimum dentifricium. Vide lapides cancrorum.

Monogr. J. G. Krüger experim. nonnulla cum aqua Ostracoderm. instituta. Hal. 1754.

Ovum gallinaceum.

Hühner-Ey.

Ova gallinacea in officinis pharmaceuticis multiplicem usum habent.

Testæ ovorum, ex terra calcarea principio gelatinoso conglutinata constantes, dum præparantur, ob virtutem absorbentem antacidam aliis calcareis terrestribus pharmacis subsitui possunt.

Albumen ovorum est humor lymphaticus, pellucidus albus, in aqua frigida penitus solubilis, in calida vero, uti in acidis & spiritu vini coagulatur. In spumam conquassatum decocta turbida clarificat, quorum sedimentum superfluum censetur. Ad pastam althææ adhibetur. Cum spiritu vini coagulatum, utile format linimentum in excoriatione a decubitu.

Vitellus ovorum est humor flavus oleosus, unguinosus, lymphatica tamen parte non destitutus, saponem fere naturalem constituit. Inservit ad corpora resinosa & oleosa aquæ miscibilia reddenda. Quondam oleum ovorum ex illo parabatur; usui externo in excoriationibus destinatum, ob citam vero rancescentiam facile superfluum

Monogr. E. G. Struve de ovorum gallinac. usu medico. Kil. 1766.

Fr. X. de Wasserberg exam. chem. ovi. In fasc. Dissert. Vien. 1775.

C. T. G. Witte Diss. de album. ovi. Marb. 1794.

Plura in Diæteticis.

Pæonia *Offic.*

Pæonie.

Pæonia officinalis Botan. Pæonia foliis decompositis nudis, foliolis lobatis, lobis latolanceolatis, capsulis rectiusculis tomentosis Willden. Planta perennis, in sylvis montium Helvetiæ sponte crescens, ob gratiam floris in hortis culta.

Partes usuales. *Radix* vere primo effodienda, e tuberibus ope fibrarum cohærentibus composita, carnosa, extus griseo rubella, intus alba, odoris non ingrati, subnidorosi, saporis acris, acerbi, amaricantis, nauseosi. A cortice externo liberata, in taleolas scissa adservatur. Flores mense Majo colligendi, petalis quinque majoribus, subrotundis, concavis, basi angustioribus, coloris purpurei, odoris debilis non ingrati, subnidorosi; siccatione pereuntis, saporis mucilaginosi, subamarescentis.

Præparatum. *Syrupus florum Pæoniæ* ex infuso cum triplo sacchari coctus.

Ingreditur radix pulverem antiepilepticum.

Vires & usus. Flores cum radicibus communem virtutem habent, leniter stimulantem, nervinam, antiepilepticam quondam celebrem.

Priores in substantia non adhibentur, sed syrupus ex illis paratus in usum accersitur, ad semiunciam ter vel quater in die pueris epilepticis exhibendus, aut & mixturis antispasticis inmiscendus. Pulvis radicis eodem scopo ad drachmam unam & ultra in die porrigitur, eandemque ob rationem pulveri antiepileptico Dispensatorii nostri intermiscetur. Ob inefficaciam vero rarus hodie hujus plantæ usus.

Monogr. J. A. Friderici de Pæonia. Jen. 1670.
J. A. Hünerwolff anatomia Pæoniæ. Amst. 1680.

Papaver album *Offic.*

Weiſser Mohn.

Papaver somniferum Botan: Papaver calycibus capsulisque glabris, foliis amplexicaulibus incisis Lin: Planta annua in oriente habitans, apud nos in hortis & agris crebro culta.

Partes usuales. Capſulæ, vulgo capita papaveris, globosæ, magnæ, glabræ, pileo stellato ex reliquiis stigmatis formato, coronatæ, immaturæ & recentes succum lacteum amaricantem opiatum largientes. Ob vim leniter anodynam unacum siliquis dulcibus & liquiritia adhibentur ad syrupum diacodii sive meconii parandum, pro tussi infantum & adultorum a plebe multum expetitum, prævalentibus viribus potius emollientibus & relaxantibus, quam narcoticis instructum. Propterea dosis syrupi hujus non periculosa; facile ad unciam unam & ultra pro linitu aut in mixturis præscribitur.

Semina papaveris alba & nigra (cinerea potius) exigua, reniformia, rugosa, subdulcia & oleosa, in emulsionibus frequenter exhibentur, præcipue febricitantibus pervigilio vexatis, sed vires narcoticas & anodynas nullas fere possident. Idem valet de oleo, quod pressione ex illis obtinetur, unctuoso.

Ipsissimæ vero hujus plantæ capsulæ immaturæ, in loco Orientis nativo vulneratæ, succum lacteum gummiresinosum fundunt, qui inspissatus & condensatus Opium est officinarum. Equidem & ex nostris in Europa plantis simili artificio obtinetur, sed viribus multo inferius. Longe majori lucro in orientalibus regionibus, præcipue in Natolia, Persia, Aegypto Opium verum eruitur, & viribus præstantius. Climatis enim benignitate & cultura accedente stirps in Persia subinde adsequitur magnitudinem 40 pedum, & capsulæ interdum in Arabia ad enormem amplitudinem perveniunt.

Tres fere species opii habentur ex eadem planta. Prima est coloris ex flavo albi, vocatur Maslac (lacryma opii) ex succo sponte promanante & aëre calido condensato oritur; nobis autem hæc species non adfertur. Secunda dicitur Opium thebaicum, paratur expressione succi ex capitulis & coctione horum cum aqua; decoctum cum expresso succo insimul dein inspissatur. Hæc species est usitatissima in officinis. Tertia vocatur Meconium, hæc ex omnibus plantæ partibus aqua decoctis & inspissatione paratur; vilissima omnium.

Opium thebaicum in frustis subrotundis, forma placentarum rotundo complanatarum ex Turcia,

Persia, Arabia, Aegypto aliisque locis calidioribus adfertur, magnitudinis diversæ, ponderis unciarum quatuor ad libram unam & ultra, foliis variis involutis, ac pulvere conspersis vario. Solidum est & compactum, plane opacum, inter digitos mollescens, sectione in frusta dissiliens, fracturæ splendentis, coloris e rubicundo brunei, saporis amari, nauseosi, calidi, odoris fortis, virosi, gravis, tetri. Comminutum largitur pulverem fulvi coloris. Succo liquiritiæ adulteratum sapore dulciori dignoscitur; sabulo inquinatum proditur sectione stridente solutione & microscopio.

Constat opium partibus tum gummosis, tum resinosis; & in parte resinosa principium narcoticum contineri nonnullis videtur; etsi alii iterum principium hocce narcoticum ab utroque priori separatum & distinctum defendant. Tam arctus futem est gummatis & resinæ nexus, ut aqua & resinæ partem, & alcohol gummi bonam partem abripiat. Spiritus vini tenuior utramque partem solvit; vinum autem est optimum menstruum opii. In aqua solvitur, sed non ex actissime, tincturam tamen bene coloratam, puniceam exhibens. Candelæ ad motum facile flammam arripit.

Præparata. *Pulvis anodynus* ex opio cum lapidibus cancrorum & saccharo. In granis triginta, opii granum unum latet. Pulvis Doveri sive ipecacuanhæ cum opio, ex parte una opii, duabus ipecacuanhæ & septem sacchari paratus. In granis decem granum unum opii continetur. Tinctura anodyna simplex ex opio puro in sexdoplo spiritus vini soluto. In granis septem

sive guttis quatuordecim opii granum unum habetur. Tinctura anodyna composita, sive Laudanum liquidum sydenhami ex duabus partibus opii cum una croci austriaci in duodecim aquæ cinamomi vinosæ maceratis & solutis. In granis septem opii fere granum unum.

Ingreditur præterea theriacam Andromachi & pilulas de styracæ.

Vires Opii in majori dosi sunt venenatæ, narcoticæ, saporiferæ, temulentiam cum ebrietate etiam vomitum quandoque inducentes; effectu ultra 24 horas perdurante. Antidoton in emeticis, acidis vegetabilibus, & camphora. In dosi vero moderatiori opium vires exserit stimulantes, irritantes, nervinas antispasmodicas, diaphoreticas, alvum inhibentes. Vires excitantes & exhilarantes, aut ex obposito anodynæ, sedantes, narcoticæ sunt mere relativæ ad subjecti ægroti morbosam conditionem, atque ad dosin opii exhibiti. Maximum venenati hujus remedii incitamentum indirectissimam debilitatem cum sapore inducere, Bruno cum asseclis defendunt. Irritabilitas saltem ab opio non semper, nec absolute infringitur, quemadmodum veteres crediderunt; quin persæpe ab eodem exacerbatur vehementer. Agendi ratio hujus medicaminis ex illis quodammodo intelligitur, quæ de narcoticis dicta fuerunt.

Usus opii maximus est in omnibus morbis nervosis absque erethismo, quorum ingens numerus & forma; præcipue vero in adfectionibus nervosis capitis, ventriculi & intestinorum; specialius ergo in febribus nervosis continuis & periodicis, sopo-

rosis, convulsivis, dysentericis, in colica asthenica & pictonum, in vomitu & diarrhæa absente saburra & inflammatione, in pigra exanthematum eruptione & in morbis cutaneis a debilitate nervosa, in gangræna sicca dolorosa, in doloribus chronicis a partium dolentium inertia & spasmo &c. &c. Animus non est, intra therapiæ limites ingredi. An contra luem veneream opium vires possidet? Videtur natura soli Mercurio dotes hasce impertivisse.

Vetant hujus remedii usum plethora, sthenica nota, gastrica colluvies, nervosus erethismus. Ob posteriorem hancce rationem in epilepsia, in hydrophia &c. sæpissime incassum opium adhibetur.

Externe viribus irritantibus, stimulantibus consimiliter gaudet, ac interne. Propterea in tumoribus frigidis resolvendis vel maturandis, in chronicis oculorum inflammationibus, in odontalgia non inflammatoria, in profluviis e debilitate exortis, in spasmo cinico & alio locali, in vomitu &c. parti adfectæ illinitur, vel necessaria forma adplicatur. Laudat linimentum opii cum saliva aut succo gastrico Fr. Chiarenti.

Dosis Opii multum varia, e regulis therapeuticis in dato casu semper determinanda. In recta debilitate a minima dosi neoterici incipiunt, paulatim adscendendo. Granum unum in die, aut & partitis vicibus exhibitum ab initio adultis sufficit. Adscendunt ad duo, tria, quinque & ultra, nam natura & huic veneno adeo adsuefit, ut sub diuturno usu enormes quandoque doses ægri ferant. In debilitate indirecta schola Brunonis a maxima dosi orditur. Ipse Bruno plura quam decem gra-

na pro prima dosi exhibuit, experimento non facile — nisi in desperato casu — recterando. In tetano & colica pictonum jam antiquiores omni hora granum integrum dederunt, imo Plenkius & alii majores quoque doses non absque fructu tentarunt. Notandum tamen est, in clismatibus opium exhibitum, generosius non raro agere, ac ore adsumptum. Eo magis hoc in infantum diarrhæis hoc animadvertendum est, quum in teneris hisce & irritabilibus subjectis, ob metum lethalis saporis caute universim cum opio mercandum sit.

Præscribitur in pulvere cum saccharo aut aliis, in decoctis, mixturis, pillulis, electuariis, in quibus eo exactius dissolvi debet, quo crassioris sunt consistentiæ. Externe in fomentis, inunctionibus, injectionibus, clismatibus.

Electuarium anodynum in granis circiter 64, pillulæ de styrace in granis 8, pulvis anodynus in granis 30, tinctura anodyna utraque in granis 7, pulvis Doveri in granis 10 opii puri granum unum continent. Exinde elucent, quomodo horum præparatorum doses dirigendæ sint.

Acida opii vires multum infringunt; alcalina vero lixiviosa alternatim interpollata juxta experimenta Cel. ab Humboldt observationesque recentissimas Cl. Stütz opii incitantes vires mirum in modum exaltant.

Monogr. Lochneri Meconopægnion.
J. J. Reitter de Opio & Opiatis. L. B. 1623.
D. Beckher de Opio. Reg. 1652.
G. W. Wedelii diss. de Opio. Jen. 1667. r. Ledel.
— — — — — Opiologia. Jen. 1682.

Adhæret. M. Etmüller diss. de virt. opii. diaphoret. It. Lips. 1679. Separ.
P. Pantel de Opio, ejus natura, ac usu. L. B. 1670.
Ph. Mathon an Opium hyster. access. noxium? Par. 1677.
J. J. Waldschmid monita pract. circa Opium. Marb. 1679.
J. Birch de Opio. Alt. 1681.
A. Heigel de Opio. Alt. 1681.
Ol. Borrich de somno & somnifer. maxime papav. Hafn. 1682.
J. Broen de somno & somnif. Oipo. L. B. 1683.
Cl. Guerin an Opium venerem accendat? Par. 1688.
H. Heideck de usu Opii in catharis. Duisb. 1691.
Sam. Schroer de Opii nat. & usu. Erf. 1693.
Fr. Vezov an vires consoc. Op. & Chinchin? Par. 1696.
M. Lubeek de Opio. L. B. 1699.
Fr. Hoffmann de Opiatorum nova, eaque mechanica operandi ratione. Hal. 1700.
— — — — de Opii correctione genuina & usu. Hal. 1702.
A. M. Dengaw an Opium dysenter salub. Par. 1703.
J. G. de Berger de vi Opii rarefaciente. Vit. 1703.
G. Fr. Reichnau de Opio. L. B. 1704.
J. Ad. Hoffsterer de Papav. & Opio. Hal. 1704.
G. E. Stahl impostura Opii. Hal. 1707.
J. Medley de nat. & vir. Opii. L. B. 1716.
L. Cl. Bourdelin an Opium hyster. Par. 1725.
J. H. Schulze de medicam. opiat. officin. Hal. 1735.
Sal. de Monchy de Opio. L. B. 1739.
H. Chr. Zencker de partib. constit. Opii & agendi modo. Gott. 1744.
J. Juncker largiss. usus Opii per plur. annos in casu pract. Hal. 1744.
A. E. Buchner de genuinis Opii effect. Hal. 1748.
C. H. Oberlin de Opio liberius in medic. adhibendo. Arg. 1752.

G. Joung a treatise on Opium. Lond. 1753.
J. Ritter de purg. & Opio in hydrope. Vien. 1754.
B. L. Tralles usus Opii. Vratisl. 1757. it. 1774. Sect. IV.
— — — — de vi Opii cardiaca. Ibid. 1771.
G. Maxwell de Papav. usu &c. in puerp. Edinb. 1764.
S. Bard de viribus Opii. Edinb. 1765.
De Valancourt an rabici Opium? Par. 1766.
J. Rumpel de Opio. Duisb. 1773.
D. G. Triller de suspecta Opii ope in pleurit. Vit. 1774. r. Schulze.
R. B. Remmet de Opii usu in morb. inflam. Edinb. 1774.
Callisen de Opio. Hafn. 1775.
Al. Thomson de Opii oper. med. in Diss. med.
Car. a Linnée de Opio. Ups. 1775. It. in amoenit.
C. J. Wirtensohn Opium vires fibrar. cord. debilitare & mot. tam. Sangu. augere. Hard. 1775.
J. Hirsch de Opii modo oper. in mitig. dolor. Hal. 1776.
J. Drescher de Opio ejusq. usu. Vien. 1777.
J. G. Haase Diss. de usu Opii in morb. inflam. Lips. 1778. 1779.
P. H. Buhr de usu Opii chirurg. Gott. 1780.
J. J. Schuertlich de usu Opii in Febr. interm. Gott. 1783.
Th. G. Timmermann de Opii abusu. Rint. 1783.
H. D. Reimarus de Opii in Febr. usu. L. B. 1784.
B. Boehm de rite æstim. Opii virt. in morb. inflam. Hal. 1784.
E. Harison de Opio. Edinb. 1784.
E. J. a Thnefsink de Opii usu in Syphil. L. B. 1785.
Leigh erfahrungsmäfs. Unters. der Eigensch. des Opium. Leipz. 1787.
A. A. Weber de Opii modo agendi. Hal. 1789.
G. Alexander de partib. C. H. quæ viribus Opii parent. Edinb. 1790.

J. P. J. Rudolph de Opii in lue vener. efficac. Erl. 1792.
J. G. Knebel Diss. de Opio. Frf. 1794.
L. J. Zoude de effectu Opii salutari. Lovan. 1794.
S. Crump. Unters. der Nat. u. Eigensch. des Opium. Leipz. 1796. A. d. Engl.
Nebel analecta de Opio. Heidelb. 1797.
Sinapii, Hambergeri, Freytag, Doering, Tiling, Hartmann, Winkler, Siebold de eod. argum.
Streng über den Missbrauch des Opiums, in Röschlaubs Magazin.

Papaver erraticum *Offic.*

Klapperrose.

Papaver Rhæas Botan. Papaver capsulis glabris globosis, caule piloso multifloro, foliis pinnatifidis incisis Lin. Planta annua, in agris vulgatissima. Varietas flore rubro simplici, unice intelligitur.

Pars usualis. *Flores*, mense Junio & Julio colligendi & siccandi, petalis quatuor subrotundis, cum basi angusta & nigra; tactu pinguibus, mollibus, dum recentes odoris subvirosi, saporis mucilaginosi subamari. Infusum aquosum grate rubrum & mucilaginosum sistunt.

Præparatum. *Syrupus florum Rhæados* ex infuso cum saccharo in debitam spissitudinem cocto.

Ingrediuntur species pectorales.

Vires mucilaginosæ, levissime adstringentes, vix anodynæ.

Dosis drachmæ duæ aut tres pro libra infusi. Syrupus ad plures uncias.

Monogr. J. A. Fischer de Papap. erratico. Erf. 1718.

Pepo, Cucurbita *Offic.*

Plutzer, Kürbis.

Cucurbita Pepo Botan. Cucurbita foliis lobatis asperis, pomis lævibus Lin. Planta annua ignotæ patriæ, in hortis & agris prægrandi fructu culta.

Pars usualis. *Semina* cucurbitæ, majora, oblonga, utrinque plana acuminata, tota margine tumido cincta, superne ovata, inferne quasi resecta, medullam albam vehentia, coloris albi vel flavescentis, eorum nucleus vero cuticula viridi tegitur. Sapore amygdalaceo gaudent, oleoque unguinoso scatent ita, ut ex libra seminum semilibra olei obtineatur; atque ob mucilaginem admixtam hæc semina egregias cum aqua & saccharo emulsiones sistunt, refrigerantes, antisthenicas.

Dosis uncia una & ultra pro libra emulsi. Possunt etiam Cucurbitæ lagenariæ semina substitui.

Petroleum.

Steinöhl.

Bitumen fluidum consistentiæ olei expressi, odoris fortis & saporis acris, plus minus purum, inde etiam plus minus coloratum. Modo terris mixtum, modo inter rimas rupium aut aquis supernatans deprehenditur, etiam ex lithantracibus & succino obtinetur. Flavum ex Sicilia & Italia, rubrum ex Alsatia & Languedocia adportatur. Omne

temporis tractu colorem obscuriorem & consistentiam crassiorem adsumit.

Petroleum in nostris pharmacopoliis prostans est coloris flavi vel e fusco rubri, odoris succinei, calefactum inflammatur & ardet flamma admodum fuliginosa, ingratumque odorem spargit. Spiritu vini, quem quidem tingit, non solvitur, & cum aqua minime miscetur. Adulteratur cum oleo terebinthinæ & cum oleis expressis. Prior adulteratio ipso odore dignoscitur. Pro usu interno sit rectificatum.

Vires stimulantes, summopere calefacientes, anthelminticæ, ipsam tæniam necantes. Antidoton quoque napelli petroleum dicitur. Externe ad perniones dispellendos & præcavendos illinitur, in odontalgia genis, & ad vermes necandos forma unguenti abdomini infricatur. Partibus quoque rheumaticis & paralyticis atque pertinacibus impetiginibus utile dicitur.

Dosis a guttis decem ad viginti & triginta, semel vel pluries in die pro vario casu, optime ex saccharo vel cum syrupo quodam. Major etiam dosis contra tæniam, & in colica pictonum.

Usus hujus remedii sat antiquus. Anno 1561 J. Nifius unguentum anthelminticum ex eo jam composuit.

Monogr. Fr. Ariosti de oleo montis Zibini tract. Hafn. 1690.
G. W. Wedel de Petroleo. Jen. 1709.
H. F. Teichmeyer de Naphtha. Jen.
J. Th. Hoeffel historia bals. mineral. Alsatici. Arg. 1734.
Chr. C. Reichel Naphthæ, Petrolei &c. historia. Witeb. 1746.
Scheda dell olio di Sasso; in Parma 1746.

Pimento *Offic.*

Nelkenpfeffer, Neugewürz.

Myrtus Pimenta Botan. Myrtus foliis alternis Lin. Arbor in nova Hispania, in Antillis atque Jamaica tum sponte crescens, tum arte culta.

Pars usualis. *Baccæ* perperam semina Amomi dictæ, globosæ, magnitudinem piperis nigri æquantes, fuscoinigricantes, umbilicatæ, biloculares. Seminibus duobus hemisphæricis, saporem plurium aromatum præ se ferentes. Decerpuntur autem ante maturitatem, ne aroma debilitetur, & radiante sole siccantur.

Vires stimulantes, stomachicæ, ad condiendos cibos potius, quam in medicina usitatæ.

Dosis ad grana decem & ultra, si quis adhibere vellet. Utplurimum pro masticatoriis.

Monogr. Cechini Martinelli Discurs. de Amomo & cal. arom. Venet. 1604.

Examen hujus Discurs. ab Anonymo. Mant. 1605.

Nic. Maronea tract. de Amomo. Basil. 1608.

Pimpinella alba *Offic.*

Weisse Bibernelle.

Pimpinella saxifraga Botan. Pimpinella caulestriato glabro, foliis pinnatis glabris, radicalibus foliolis subrotundis argute dentatis, caulinis bipinnatis linearibus. Willden. Planta perennis in Europæ locis incultis & arenosis, pascuis siccis & ad vias sponte crescens.

Pars usualis. *Radix*, primo vere aut autumno effodienda & caute siccanda, fusiformis, digitum minorem crassa, extus e flavo cinerea, in-

tus alba cum nucleo nonnihil lignoso, saporis amaricantis, acris, odoris hircini. Siccatione uterque fere perit.

Vires leniter stimulantes, resolventes, stomachicæ, in pituitosis morbis laudatæ.

Dosis in pulvere a granis decem ad semidrachmam; in infuso a drachmis duabus ad unciam semis, pro libra aquæ aut potius vini. Usus perrarus.

Monogr. E. Fr. J. Heimreich de Pimpinella alba. Alt. 1723.
J. C. Hertius de Pimpinella saxifraga. Giefs. 1726.
r. Hilchen.
J. A. Harnisch de Pimpinella nigra. Lips. 1757.
(An Pimpin. magna Lin. aut nigra Willd.?)

Pinea *Offic.*

Pinole, Zirbelnüsse.

Pinus Pinea Botan. Pinus foliis geminis, primordialibus solitariis ciliatis Lin. Arbor in Hispania, Gallia meridionali & Italia frequens.

Pars usualis. *Nuclei* plano oblongi, subacuminati, albi, pollicis longitudinis, saporis subdulcis amygdalacei, tenui fusca pellicula vestiti, in duris crassisque nucibus squamatos strobilos inhabitantibus delitescentes. Unacum cum oleo unguinoso, quod largiuntur, facile rancescunt.

Vires nutrientes, emollientes. Pro subigendis resinis potius, quam pro medicamine inserviunt. Usus antiquissimus. In marmorea Aesculapii templi tabula hæmoptoicis jam commendatus fuit.

Pinus Sylvestris *Offic.*

Fichtenbaum.

Pinus Sylvestris Botan. Pinus foliis geminis, primordialibus solitariis glabris Lin. Arbor sempervirens in sylvis ubique cognita, proceritate venerabilis.

Partes usuales. *Strobili*, turiones pini, jam a Cællo Aureliano in usum tracti; amenta tenera nondum expansa, extrinsecus squamis tenuibus, siccis, rufis tecta, interne viridia, fragilia, adtactus resinosi, odoris grati, saporis balsamici amari. Terebinthina communis, resina liquida, ex arbore vulnerata profluens, viscosa, semipellucida, sordida, coloris ex griseo flavescentis, saporis amaricantis nauseosi, odoris proprii. Vilissima species Terebinthinæ. *Vide Larix.* Pix alba seu resina alba communis ex cortice sponte fluens & aëre indurata, coloris albi vel flavi, ardens odore ingrato.

Vires strobilorum stimulantes, diureticæ; leniter tonicæ. In scorbuto, etiam in morbis cutaneis cum emolumento tentatæ: Dosis ab uncia semis ad unam pro colatura infusi libræ unius, quod externe etiam antileprosum.

Pix alba ad emplastra adhibetur, ob vim emollientem & discutientem. Ingreditur propterea emplastrum citrinum, diachylon cum gummatibus, meliloti, oxycroceum, unguentum basilicum & althææ.

Monogr. R. J. Camerer de Cervaria nigra & Piniconis. Tub. 1712.

L. Roberg de Piceæ Pinique Sylvestr. resina. Ups. 1714. r. Hesselius.

Piper rotundum *Offic.*

Pfeffer.

Piper nigrum Botan. Piper foliis ovatis subseptemnerviis glabris, petiolis simplicissimis Lin. Planta frutescens in India orientali quidem sponte crescens, sed ignobilem fructum ferens, hinc in Malabaria, Sumatra & Java industriose culta.

Pars usualis. *Fructus* baccæ scilicet virides immaturæ, siccatione nigricantes, pisi minoris magnitudinis, globosæ, duræ, non petiolatæ, intus e cinereo albidæ, odoris subaromatici, saporis acris, pungentis. Virtus in parte resinosa, proinde aqua non facile extrahitur.

Vires summopere stimulantes; calefacientes, stomachicæ, hinc variis ferculis non saporis unice causa, sed & pro adjuvanda digestione usu quotidiano additur. Prava & hodiedum inter plebem consuetudo, piper cum alcohole in febribus intermittentibus exhibendi, ab ipso adhuc Dioscoride derivanda. Externe rubefacit cutim, & pediculos necat. Suibus infestum venenum.

Dosis in pulvere a granis quinque ad decem, in infuso vinoso a scrupulo uno ad drachmam unam. Ast rarus medicus usus.

Monogr. L. Heisteri Diss. de Pipere: Helmst. 1740; In gratiam Candidati Pfeffer vocati exarata.

Plantago *Offic.*

Wegerich.

Plantago media Botan. Plantago foliis ovato lanceolatis pubescentibus, spica cylindrica, scapo tereti Lin. Planta perennis in pascuis ster-

libus ad vias & in locis incultis argillosis totius fere Europæ frequens.

Pars usualis. *Herba* foliis ovato lanceolatis non dentatis, longe petiolatis, subcrassis, incanis, subhirsutis, saporis subadstringentis, amaricantis, salini, odoris nullius.

Vires subadstringentes, vulnerariæ. Folia recentia ulceribus, fonticulis imponuntur. Decoctum in angina ulcerosa laudabatur. Hodie melioribus substituendis pro domestica solum medicina inservit. In eundem usum Plantago major & lanceolata colligitur.

Monogr. G. W. Wedel de Plantagine. Jen. 1712. Themisonem integrum volumen de laudibus plantaginis conscripsisse, memorat Plinius.

Plumbum, Bley.

Metallum omnium molissimum & minime elasticum, omnibus notum. Forma autem metallica usum medicum nullum habet, & nonnisi forma calcis, oxydatum & vario modo præparatum, officinas intrat. Quammaxime in usu sunt Cerussa, Lithargyrum, Minium.

Cerussa alba, Bleyweiss, Plumbum aceto oxydatum Chem. seu plumbum per aceti vapores corrosum, occurit sub laminis aut conulis ponderosis, fragilibus, niveæ albedinis & saporis dulcissimi. Comparatur ex fabricis Angliæ, Hollandiæ, Germaniæ. Veneta sæpe creta adulteratur, pravitatis minoris, coloris impuri. Redacto plumbo in metallicam formam, ex remanente massa irreducibili fraus detegitur.

Præparata ex Cerusſa. *Emplastrum album coctum*, ex cerusſa cum oleo olivarum in emplastri spiſsitudinem coctis. Unguentum album, ex cerusſa cum axungia, cum vel sine Camphora. Saccharum saturni (acetis plumbi) cerusſa crystallisata, prægresſa solutionis in aceto evaporatione. Crystallos format albas impellucidas aciculares, saporis dulcis adstringentis, in aëre desatiscentes, in aqua & spiritu vini solubiles. Basilii Valentini inventum.

Vires *Cerusſæ*, prouti omnium præparatorum plumbatorum internæ venenatæ, nunquam adhibitæ; externe exsiccantes, adstringentes, refrigerantes, irritabilitatem & sensibilitatem imminuentes, consolidantes. Ad loca præcipue excoriata, absente inflammatione, emplastrum & unguentum album adhibentur.

Saccharum Saturni ad scrupulum unum in libra aquæ solutum aquam lacteam vegeto mineralem sistit; externo usui refrigeranti, siccanti destinatam. Interne adhibitum, dirum venenum est, tormina intestinorum, alvi pertinacem constipationem, colicam sic dictam Pictonum causat, atque sub symptomatibus peſsimis nervosis, paraliticis aut convulsivis, tabidam mortem. Imo & externus hujus, aut aliorum plumbi præparatorum protractus & diuturnus usus eosdem effectus causaſse legitur. Interea in refractiſsima dosi, præcipue cum opio mixtum, more aliorum venenorum audaci manu & interne adhibitum a nonnullis medicis fuit, præcipue in desperata illa colliquativa diarthæa, quæ phthisicorum tragædias claudere solet,

nullo alio artis molimine inhibenda. Dederunt illud interne Fullerus, Mynsichtius, Ettmüllerus, Hoffmannus Pater, Dolæus, Zwingerus, Grammannus, Charasius, Poterius, Wedelius, Maloninus, Rindlinus, Hundertmarckius, S. G. Vogelius, Cullenius, Whitius, Saxtorphius, Tissotus, alii. Difsuadent prudentes multi, aut saltem nonnisi in desperatifsimis casibus, ubi melius anceps quam nullum remedium, usum ejus admittunt. Interim vina saccharo saturni adulterata affatim potantur.

Lithargyrum; oxidum plumbi semivitrificatum, in depuratione metallorum nobilium a plumbo addito potifsimum nascitur, ideo vix unquam a cupro simul extracto liberum, quod facile dignoscitur, si solutio ejus in spiritu salis ammoniaci caustico cærulescat. Lithargyrum bracteis flavis in rubrum vergentibus occurens, lithargyrum auri seu Crysitis, Goldglätte; bracteis albis lithargyrum argenti seu Spuma argenti, vel Agyritis, Silberglätte vocatur; discrimine vix adtentione digno, & unice ab ignis gradu exoriundo. Utrumque ponderosum est, squamosum, tenax, ad tactum pinque.

Præparata ex Lithargiro, *Acetum lithargyri* in quadruplo aceti ad medietatem coacti & filtrati. Idem acetum magis concentratum sub nomine extracti saturni in officinis quondam prostabat. Utrumque aquæ (sed ab omni alumine liberæ) instillatum, lactescentem eam reddit, atque drachma una circiter cum dimidia libra aquæ mixta,

aquam sic dictam vegeto mineralem sive Goulardi sistit.

Acetum vero lithargyri cum anatica olei olivarum & dimidia ceræ albæ portione coctum, Unguentum lithargyri vulgo nutritum vocatur. Unguentum fuscum ex lithargyro pulverato cum axungiis oleo & cera coctione mixtum, atque in tabulas effusum. Emplastrum diachylon simplex ex lithargyro pulverato cum duplo olei olivarum cocto exoritur. Additis gummiferulaceis, galbano, ammoniaco, resina pini & terebinthina Emplastrum diachylon cum gummi componitur.

Vires lithargyri, prouti plumbi universim sunt exsiccantes, adstringentes, quodammodo refrigerantes, solo externo usu adhibendæ. Aqua vero vegeto mineralis, qua antiphlogisticum remedium consideratur; atque in inflamationibus — attamen non vere sthenicis — oculorum, mammarum, hæmorrhoidum, testiculorum, vulvæ vulnerum, contusionum, fracturarum, luxationum &c. cum fructu adhibetur. Emplastrum diachylon simplex est emplastrum fere emolliens; compositum vero maturans simul & potentius resolvens. Unguentum nutritum sola consistentia differt, frequentissime ad ambustiones, cutis excorationes, scabiem & ad alia cutanea vitia laudatur. Unguentum fuscum simili fere modo agit.

Minium, Menig, oxydum plumbi rubrum, diuturno, ast leniori igne quo non liquefit igne ex plumbo purissimo paratur, ponderosum, ex squamulis minutissimis consistens, coloris vegete

rubri sammetini, nonnihil in flavedinem virgentis; præcipue si teritur. Paratur in Anglia, Turcia & in Germania prope Norimbergam in officinis miniariis. Cum ochra rubra, aut pulvere laterum lucri causa viciatur.

Præparatur. *Emplastrum de Minio*, cum terebinthina, cera & oleo.

Vires uti priorum adstringentes, exsicantes; refrigerantes.

Ingreditur propterea alia emplastra varia; defensivum rubrum, ad fonticulos, noricum.

Monogr. Seerup Triumphus Lithargyriatorum. Hafn. 1700.
S. Tolkemit de Sacch. Saturni usu & abusu. L. B. 1712.
J. A. Slevogt de Cerufsa. Jen. 1718.
J. A. Fischer de Saturno ejusd. nat. usu & noxa. Erf. 1720.
C. Fr. Hundertmarck exercit. de Sacch. Saturni usu interno Salutari, &c. Lips. 1741.
St. J. A. Albrecht medicamentor. Saturnin. & Jovial. histor. & usus. Gott. 1772.
G. G. Lilie de Plumbi virtut. med. Edinb. 1775.
J. C. Gehler de Plumbo, ejusq. vi medic. Lips. 1777.
D. G. Nebel de Plumbo. Heidelb. 1777.
Richtiger Gebrauch des Bleyextracts in äufserl. Zufällen. Hal. 1783.
Andr. J. G. Murray de extracto Saturn. & aqua vegeto miner. Gott. 1788.

Polygala vulgaris *Offic.*

Kreuzblümchen.

Polygala vulgaris Botan: Polygala floribus aristatis racemosis, caulibus erectiusculis, foliis ra-

dicalibus obovatis majoribus Lin. Planta perennis in regionibus montosis Austriæ & reliquæ Germaniæ sponte crescens, & efficacior, quam in pratis progerminans.

Pars usualis. *Radix* mense Junio colligenda & siccanda, ex subnodoso fere capitulo multas fibrillas emittens, extus griseo flavo, intus alba, odoris nullius, saporis ex subdulci amaricantis.

Ingreditur pulverem sternutatorium species pectorales.

Vires lenissime roborantes; in phthisi pulmonali cum lactis usu a H. Collinio & Portalio præcipue laudatæ. Non multum, ut videtur, efficaces.

Dosis. Forma pulveris a granis viginti ad drachmam semis bis vel ter de die, aut & forma electuarii cum melle: In decocto uncia una pro libra aquæ vel lactis.

Monogr. Nic. Candon Diss. de Polygala in phthisi. Vien. 1762.

Polygala Senega *Offic.*

Senegawurzel.

Polygala senega Botan. Polygala floribus imberbibus spicatis, caule erecto herbaceo simplicissimo, soliis lato lanceolatis Lin. Planta perennis in Virginia, Pensylvania & Marilandia spontanea. Etiam in terris cisalpinis habitare dicitur.

Pars usualis. *Radix* digitum circiter crassa, varie torta & inflexa, lignosa, intus alba & iners, extus tenaci, crasso, resinoso, flavescente, cinerea epidermide vestito cortice instructa, in quo tota virtus radicis residet. Odor nullus, sapor pri-

mo farinaceus, mox subacidus & denique acris & amarus. A Tenento primum in usum vocata, qui ejus in demorsorum ab angue febribus cum symtomatibus pneumonicis efficaciam vulgo in America notam, analogice ad alios thoracis morbos transtulit.

Vires in majori dosi emeto catharticæ, in minori potenter resolventes, leniter diureticæ & sudoriferæ; specialius in peripneumonia & pleuritide non sthenica, in hydrothorace, astmate spasmodico & humorali, atque in omni serosa thoracis colluvie & pulmonum atoria laudatæ.

Dosis forma pulveris a granis decem ad quindecim omni tertia hora; in infuso decocto a drachmis duabus ad semiunciam pro dimidia libra aquæ aut vini, cochleatim omni hora sumendo.

Monogr. Car. a Linnee de rad. Senega. Holm. 1749
G. C. Dethardingde Seneca. Rost. 1749.
J. J. Burchard de rad. Seneca. Arg. 1750. r. Siemerling.
G. S. Keilhorn de rad. Senega & Salab. Fr. 1765.
L. Ch. Hellmuth de rad. Senega. Erl. 1782.

Polypodium *Offic.*

Steinwurzel.

Polypodium vulgare Botan: Polypodium frondibus pinnatifidis, pinnis oblongis subserratis obtusis, radice squamata Lin. Filix in sylvis nostris ubivis fere obvia.

Pars usualis. *Radix* cylindrica, articulata, calamum crassa, extus squamulis tenuibus, pro exsiccatione rejiciendis, obsessa, intus flavo vire-

scens, siccata vero fuscescens, odoris nullius, saporis dulcis, acerbi, non grati, ad finem amaricantis.

Vires fatuæ, in maxima dosi alvum laxantes. Infusione pro edulcorandis decoctis inservit; nimium cocta autem amaritudinem contrahit. Dosis uncia una pro libra.

Monogr. J. H. Slevogt de Polypodio. Jen. 1699.
G. W. Wedel de Polypodio. Jen. 1721.

Porci axungia.

Schweinfett.

Pinguedo mollis, alba, inter viscera invenienda. Unguentis basim dat.

Vires emollientes, relaxantes, prouti omnium axungiarum & pinguedinum, quousque recentes & non rancidæ sunt.

Monogr. J. M. Verdries de pinguedinis usibus. Giess. 1702.
J. Fr. Cartheuser de pingued. animali. Frf.

Prunus *Offic.*

Pflaumen.

Prunus domestica Botan: Prunus pedunculis subsolitariis, foliis lanceolato ovatis convolutis, ramis muticis Lin. Arbor copiose apud nos culta, pluribus varietatibus obvia.

Pars usualis. *Fructus*, drupa oblonga, glabra, ad latus sulcata, profunde violacea, glauco rore obsessa, carne succosa flavescente & nuce compressa instructa, saporis acido dulcis.

Præparatum. *Pulpa prunorum* ex fructibus recentibus coctis & filtratis inspissatione

cum pauxillo Sacchari parata. Pauperibus subplet pulpam tamarindorum.

Ingreditur electuarium lenitivum.

Vires antiphlogisticæ, refrigerantes, resolventes, eccoproticæ.

Dosis minime periculosa.

Monogr. J. D. Horst. Prunorum esu dysenteriam non produci. Giefs. 1638.

Pulegium *Offic.*

Poley.

Mentha Pulegium Botan: Mentha floribus verticillatis, foliis ovatis obtusis subcrenatis, caulibus subteretibus repentibus, staminibus corolla longioribus Lin. Planta perennis in locis humidis Angliæ, Galliæ, Helvetiæ, Germaniæ spontanea, etiam in hortis culta.

Pars usualis. *Herba* mense Junio & Julio colligenda, foliis ovatis, obtusis, parvis, serratis, breviter petiolatis, viridibus, odoris fragrantis, saporis subamari, acris.

Præparatum. *Aqua herbæ Pulegii* destillata.

Vires stimulantes, resolventes, antispasmodicæ, hyssopo analogæ, in morbis pectoris frigidis laudabiles.

Dosis a drachmis duabus ad unciam semis in aquoso aut vinoso infuso. Aqua ad uncias tres & plures.

Pulsatilla nigricans *Offic.*

Schwärzliche Küchenschelle.

Anemone pratensis Botan: Anemone pedunculo involucrato, petalis apice reflexis, foliis bipinnatis Lin. Planta perennis in campis pratensibus apricis aridis Germaniæ obvia. Non confundatur cum Anemone Pulsatilla.

Pars usualis. *Herba florida* mense Aprili & Majo colligenda. Folia sunt bipinnata foliolis bi - vel trifidis angustis, pilosa cum petiolo longo, sericeis pilis obsefso & ex stipulis longis, crafsis, albis, vaginalibus proveniente. Flos pendulus, hirsutus, petalis sex reflexis, coloris profunde violacei, pedunculo tenui longo, pilis albis obsefso. Odor nullus, sapor recentium acris, mordax, siccatione vero in herbaceum amaricantem, cum acrimonia debili mutabilis.

Præparata. *Aqua florum Pulsatillæ nigricantis* destillata, acris & penetrans, in majori dosi vomitum ciens. Extractum Pulsatillæ ex decocto totius herbæ inspifsato.

Vires irritantes, resolventes, majori dosi purgantes. In morbis chronicis oculorum & in ipsa amaurosi, ubi nulla organi destructio specialius laudantur.

Dosis herbæ in pulvere a granis decem ad viginti, in infuso ad drachmas duas Extracti granum unum ab initio, adscendendo paulatim ad scrupulum unum in die. Aqua ad unciam unam pro dosi.

Monogr. Ant. L. B. de Störk libellus de Pulsatilla nigricante. Vien. 1771.

Zimmermann de Pulsat.?

Pyrethrum *Offic.*

Bertram.

Anthemis Pyretrum Botan. Anthemis caulibus, simplicibus unifloris decumbentibus, foliis pinnato multifidis Lin. Planta perennis in Barbaria sponte crescens, in Bohemia & Thuringia hinc inde culta.

Pars usualis. *Radix* primo vere fodienda, aliquot pollices longa, calamum crassa & ultra, parum fibrosa, tenax, extus grisea rugosa, intus alba, odoris expers, saporis acris, mordacis.

Vires potenter irritantes, quammaxime in usum externum vocandæ, ad paralysin linguæ & dentium cruciamenta commendatæ.

Dosis. Frustulum sicce masticatur, aut drachmæ duæ vel plures in sex unciis vini infunduntur, atque infusi portio in ore tenetur.

Monogr. J. H. Slevogt de Pyrethro. Jen. 1705.

Quassia *Offic.*

Quassienholz.

Quassia amara Botan. Quassia floribus hermaphroditis, foliis impari pinnatis, foliolis oppositis sessilibus, petiolo articulato alato, floribus racemosis Lin. Frutex in Surinamo habitans. Planta rarissima, ligno amarissimo. Lignum Quassiæ venale a Quassia excelsa colligitur, quæ minus amara. Hæc in sylvis Jamaicæ & Caribæarum habitat. Arbor mediæ magnitudinis.

Pars usualis. *Lignum* trunci & ramorum in frustis subcylindricis diversæ magnitudinis &

crassitiei adlatum, solidum & durum, leve, subalbidum vel pallidum, extus cortice subcinereo rugoso, facile separando & friabili vestitum, odoris expers, amaritiei insignis, ast non ingratæ, diutissime linguæ adhærentis, absque omni adstrictionis sensu. Adeo amarum lignum est, ut pulveris scrupulus unus integram libram aquæ ferventis suo sapore imprægnet, & recens aqua duodecies fere adfusa semper aliquam amaritiem extrahat. Colocynthis & Gentiana unicæ fere amaritie præcedunt. Subinde ligno Rhois metopii Lin: adulteratum occurrit, cujus vero cortex glaber fortiter ligno adhæret. Ab anno 1756 Europæis innotuit.

Præparatum. *Extractum ligni Quassiæ* ex decocto evaporato, tam amarum, ut granum unum, aquæ libras quatuor notabili amaritie imbuat. Ex libra una ligni duæ fere unciæ extracti obtinentur.

Vires roborantes absque omni adstrictione & stomachicæ, in debilitate primarum viarum, cachexiis & morbis omnibus a laxitate, in sudoribus & diarrhæis colliquativis, etiam in debilitate virium post morbos devictos summe proficuæ. Vermes quoque necat, & nunquam fere purgat.

Dosis. In pulvere lignum vix exhibetur, nam difficulter in pulverem redigitur. Cortex vero, qui adhuc amarior & efficacior est, facile conteritur, atque a granis decem ad viginti pro dosi in pulvere exhibetur. In decocto drachma una pro libra aquæ ad dimidii fere consumtionem. In infuso frigido, quod præfertur, drachmæ duæ ad libram aquæ vel vini, protrahendo infusionem ad duode-

cim aut plures horas. Gratissimum omnium est infusum ex hoc ligno cum vino albo hispanico. Ad mitigandam amaritiem libræ unius decocti aut infusi aquosi, duæ unciæ sacchari aut syrupi sufficiunt. Extractum ob summum amarorem in pillulis, ad grana decem aliquoties.

Monogr. Car. a Linnèe lignum Quassiæ. Holm. 1763. It. in amænitat.
P. M. Paarmann examen ligni Quassiæ. Arg. 1772.
S. Severi de Quassia. Pav. 1776.
Graf de Quassia amara. Erf. 1777.
J. M. Luther de præstantia ligni Quassiæ. Erf. 1778.
Thorstensen de usu med. ligni Quass. Hafn. 1778.
J. Th. Ebeling de Quass. & lich. island. Glasg. 1779.

Quercus *Offic.*

Eiche.

Quercus robur Botan. Quercus foliis deciduis oblongis superne latioribus, sinubus acutioribus, angulis obtusis Lin. Arbor europæa maxime longævis, apud nos vulgatissima.

Partes usuales. *Cortex* ramorum juniorum, glaber, lichene albo obsessus, extus cinereus; intus albus, accedente autem aëre vel humido rufescens, saporis amari, valde constringentis. *Folia* oblonga, superne latiora, sinuosa, sinubus acutioribus, angulis obtusis, petiolata, glabra, læte viridia, saporis austeri, constringentis, decerpenda, simulac progerminant. Fructus seu Glandes, nuces oblongo ovatæ, glabræ, in basi obtusæ, cortice coriaceo ex flavo fusco nucleum ovatum amarissimum includentes. Ab adnexo calyculo caudato liberentur.

Vires in omni parte Quercus adstringentes. Cortex interne in febribus intermittentibus, in rachitide &c. Scopo roborante pauperibus præscribitur; externe forma balnei, fomenti, gargarismatis. Folia quoque eodem scopo externe. Glandes tostæ cum lacte in tabe e laxitate, &, quod vix perspiciendum, in obstructionibus mesenterii laudantur.

Dosis. Cortex in pulvere a granis viginti ad triginta. In decocto uncia una pro libra aquæ aut vini rubri. Posterius decoctum gargarismatibus in angina frigida, aut fomentis ad loca herniosa firmanda inservit.

Monogr. Ch. Helwig de Quinquina Europæorum. Rost. 1712.

F. J. W. Schröder von den Wirkungen der Eicheln Göt. 1774.

M. Marx bestätigte Kräfte der Eicheln. Berl. 1781.

— — — — Geschichte der Eicheln. Defs. 1784.

J. F. J. Redecker de quercus roboris virtute medicæ Duisb. 1791.

Rheum *Offic.*

Rhabarber.

Rheum palmatum Botan. Rheum foliis palmatis acuminatis scabriusculis, sinu baseos dilatato, petiolis supra obsolete sulcatis margine rotundatis Willden. Planta perennis in Mongoliæ ditionibus & arvis Chinensibus tum sponte crescens, tum & industriose culta, imo in diversis jam regionibus Europæ, in Anglia, Gallia, Turcia, Germania, præprimis in Palatinatu, Borussia, & in ducatu Brunsuicensi educata.

Pars usualis. *Radix*, in pharmacopoliis prostans decorticata, solida, compagis spongiosæ, levis, extus obscure flavi vel ex albo lutei, intus aurantii coloris, rubris & albis maculis striisque variegatis, odoris peculiaris quodammodo aromatici, saporis amari, subacris, subadstringentis, ingrati. Optimæ notæ Rhabarbarum est Moscoviticum itinere terrestri ex China per Sibiriam transvectum, a vitiosis radicibus in Rufsia depuratum, atque tentandæ probitatis causa ibi foraminibus perforatum, in frustis multangularibus, oblongis, subteretibus, quandoque latioribus, ungulæ equinæ similibus adlatum. Rheum Hollandicum itinere maritimo ex China & India orientali a belgis advectum in frustis præsto est durioribus & compactioribus, cum lateribus duobus planis, prefsione fors formatis. Rhabarbari Europæi frusta sunt minora, magis viridescentia, amariora, minorum virium. Seligatur semper radix non cariosa, non mucida, masticata stridens & salivam colore croceo imbuens.

Rhei undulati, compacti & hybridi Lin. radices, proprietates viresque consimiles cum palmato Rheo pofsident, atque pafsim cum illo accurrere videntur. Usus hujus pharmaci jam seculo IV. innotuit. Vires medicatæ in principio saponaceo & sale terrestri selenitico resident, qui $\frac{1}{6}$ fere totius constituit, atque ex acido acetosellæ & terra calcarea constare videtur.

Præparata. *Extractum Rhei* ex decocto aquoso evaporato. *Syrupus Cichorei cum Rheo* ex anaticis dictorum ingredientium partibus

aqua decoctis, saccharo addito inspissatis. Tinctura Rhei aquosa cum pauxillo alcali vegetabilis ope aquæ destillatæ modica ebullitione extrahenda, proinde optime ex tempore paranda.

Vires leniter purgantes, & anthelminticæ, roborantes, stomachicæ, deobstruentes, ad hepar infarctum peculiarius agentes (inde Rheum veteribus anima hepatis dicebatur), itidem ad vias urinarias, nam lotium croceo colore tingunt. Laudabile remedium est, tum ubi purgare scopus, & alia purgantia nimis irritant atque debilitant, uti in infantibus neonatis si meconium evacuandum, in hystericis; hypochondriacis, gravidis, nutricibus &c., tum ubi primas vias roborandi indicatio, in dysenteria, diarrhæa a laxitate, & in omni ventriculi atque intestinorum atonia, & cachexia exinde oriunda varia.

Dosis scopo purgante infantibus ad grana decem, in pulvere, adultis a granis viginti ad drachmam unam. Scopo roborante refractioribus dosibus exhibetur. Extractum magis roborat, minus purgat; dosis ad grana viginti & ultra. Syrupus infantibus cochleatim, donec purget. Tinctura ab uncia semis ad unam in die. Cortices citri Rhei ingratum saporem multum emendant. Anaticæ partes per sacculum aquæ immersæ extemporaneum sistunt tincturam, ipsis infantibus non ingratam.

Rheum Europæum majores doses exigit ac Indicum.

Monogr. Tilingii Rhabarbaralogia. Frf. 1679.
G. W. Wedel de Rhabarb. orig. Jen. 1708.

G. W. Wedel de Rhabarb. genere, differ. & virt. Jen. 1718.
Ch. H. Hollstein de Rhabarb. L. B. 1718.
Trosp. Alpinus de Rhapontico L. B. 1718.
B. J. de Buchwald de Diaber. cura per Rhabarb. Hafn. 1733.
H. P. Juch. de Rhabarbaro. Erf. 1745.
J. G. Gmelin de Rhabarbar. offic. Tub. 1752.
Car. a Linnèe Rhabarbarum. Ups. 1753. It. in Amænit.
H. A. Kennedus de Rhabarb. Edinb. 1754.
G. Sandemann de Rheo palmato. Edinb. 1769.
J. Ch. Kemme de exim. Rhabarb. virt. in morb. quibusd. chron. Hal. 1771.

Ribesium rubrum *Offic.*

Rothe Johannisbeere.

Ribes rubrum Botan. Ribes inerme, racemis glabris nutantibus, floribus planis, foliis obtuse quinquelobatis, caule erecto Willden. Frutex in Suecia sponte crescens, in hortis nostris multum culta.

Pars usualis. *Baccæ* magnitudinis fere pisi, globosæ, umbilicatæ, pellucidæ, gratæ rubræ, succosæ, uniloculares cum seminibus multis subrotundis, nonnihil compressis; sapor grate acidiusculus.

Præparata. *Roob Ribium* ex succo cum pauxillo sacchari inspissato. Succus etiam sponte in gelatinam coit. *Syrupus Ribium* ex succo cum duplo sacchari.

Vires refrigerantes, antisthenicæ, siti contrariæ, in morbis febrilibus vulgo adhibitæ.

Dosis. Roob & syrupus ad libitum, & pro gratia.

Monogr. Gu. Chambers de Ribes Arabum &c. L. B. 1724.

Ricinus *Offic.*

Grofse Springkörner.

Ricinus communis Botan. Ricinus foliis peltatis subpalmatis serratis Lin. Planta biennis in India utraque, Africa & Europa australi habitans; apud nos in hortis colitur.

Pars usualis. *Semina*, vulgo Cataputiæ majoris dicta, ovata, utrinque compressa, phaseolum majorem magna, sub cortice tenui nitido variegato, nucleum album unctuosum acrem continentia, capsulam trilocularem subrotundam, aculeis obsitam inhabitantia, quæ sponte violenter dehiscit, ut semina exsiliant.

Præparatum. *Oleum Ricini* unguinosum, ex seminibus decorticatis expressione obtentum, proportione non semper eadem. Plerumque libra una seminum decorticatorum duas uncias olei largitur. Spissiusculum est, coloris ex glauco viridescentis, saporis & odoris fere nullius; cito rancescit. In Jamaica coctione elicitur.

Vires. Cortex seminum violenter purgat, acri principio scatet, atque propterea ad oleum pure obtinendum abjicitur. Oleum vires possidet mere emolientes; tribuunt illi tamen eccoproticas. Quare in colica pictonum & contra vermes laudatum fuit. Externe ad paralysin.

Dosis olei ad drachmas duas, ad cochleare scilicet mensale unum alterumve sæpius in die, vel solum, vel ex jure carnium.

Monogr. J. A. Fischer de Ricino Americano Erf. 1719.

Hungerbyhler de Oleo Ricini. Frib. 1780.

Fuchs de Oleo Ricini adulterato & vero.

Rosa rubra *Offic.*

Rothe Rose.

Rosa centifolia Botan. Rosa germinibus ovatis pedunculisque hispidis, caule hispido aculeato, petiolis inermibus Lin. Frutex in hortis culta, multis varietatibus occurens.

Pars usualis. *Flores*, ante expansionem optime colligendi, abjecto calice ad lenem ignem siccandi, petalis (dum pleni flores) plurimis, obcordatis, coloris grate rubri, odoris suavis, saporis subamari adstringentis. Lentiori siccatione vis adstringens & color multum debilitantur.

Præparata. *Acetum Rosarum* ex floribus siccis cum duodecim partibus aceti vini optimi digestis. Aqua Rosarum destillata. Conserva Rosarum e floribus recentibus cum duplo sacchari in aceto Rosarum soluti. Quæ si vitriolata petatur, admixtis guttis decem spiritus vitrioli pro uncia conservæ, ex tempore parari potest Mel Rosarum ex infuso Rosarum siccatarum cum duplo mellis inspiſsato. Syrupus Rosatus solutivus melius ex foliis sennæ ingredientibus denominandus. Unguentum rosatum, Pomada pharmaceutica, a Rosis vix denominari meretur, nam unice axungia cum pauxillo ceræ mixta lavatur aqua Rosarum, atque odoris gratia ab admixto oleo de Bergamo & Lavandulæ pendet.

Vires leniter excitantes, adstringentes. Usus præcipuus ad electuaria dentifricia, ad gargarismata subadstringentia, atque ad fomentationes ophthalmicas. Acetum Rosarum gratum suffimigium. Conserva antiscorbutica.

Dosis non periculosa, ad libitum larga.

Monogr. J. C. Rosenbergii Rhodologia. Arg. 1628.
Nic. Monardes Commentr. de Rosa.
R. G. Kraus de Rosa. Jen. 1732.
J. Herrmann de Rosa. Arg. 1762.

Rosmarinus hortensis; Anthos *Offic.*

Rosmarin.

Rosmarinus officinalis Botan. Rosmarinus foliis sessilibus Willd. Frutex in Hispania, Gallia narbonensi, Italia sponte crescens, apud nos in hortis passim cultus, & in hybernaculis.

Pars usualis, summitates florentes, flores nempe & folia. Flores ringentes, ex violaceo rubri coloris, saporis & odoris penetrantis. Folia sunt linearia, angusta, sessilia, marginibus reflexis, supra in medio sulcata, saturate viridia, infra in medio nervosa, incana & tomentosa, odoris fragrantis, saporis acris, amari, camphoracei.

Præparata. *Aqua Rosmarini* foliorum destillata. Oleum Rosmarini foliorum destillatum, $\frac{1}{200}$ totius, flavicans vel subviride, ingratioris odoris quam ipsa herba, ætate camphorescens. Conserva Rosmarini ex foliis recentibus cum duplo sacchari. Spiritus, Aqua Reginæ Hungariæ vulgo dictus (Eau de la Reine

d'Hongrie) ex foliis siccatis in duplo aquæ Rosmarini & octuplo spiritus vini rectificati maceratis abstractione medietatis obtentus.

Ingreditur acetum antisepticum, aquam vulnerariam spirituosam, balsamum saxonicum, species resolventes, spiritum balsamicum, unguentum nervinum.

Vires stimulantes, excitantes, nervinæ, roborantes, ideo & resolventes atque externe discutientes, in fomento vinoso contra sugillationes, oedemata frigida & gangrænescentias. Non perspicio ejus in plica polonica laudatam efficaciam.

Dosis a drachmis duabus ad unciam semis pro libra infusi aquosi aut vinosi. Conserva ad semiunciam aliquoties in die, spiritus maxime pro usu externo.

Monogr. J.C. Spies Roris marini coronarii historia. Helmst. 1718.

M. Alberti de Rore marino. Hal. 1718.

J. J. Fick de Rore marino. Jen. 1725.

Der Rosmarin medicinisch betrachtet. Budiss. 1764.

Rosmarinus Sylvestris *Offic.*

Wilder Rosmarin.

Ledum palustre Botan. Ledum foliis linearibus margine revolutis, subtus tomentosis Willden. Fruticulus in regionibus paludosis Europæ frigidioris, hinc inde in Germania & ad montes Carpathicos habitans.

Pars usualis. *Folia* linearia, foliis Rosmarini hortensis similia, breviter petiolata, supra nitide & profunde viridia, infra lana ferruginea

obducta, odoris subaromatici, nidorosi, ingrati, saporis amaricantis, subadstringentis. Non confundantur cum foliis Andromedæ polifoliæ Lin: foliis latioribus, subtus glaucis, inodoris.

Vires stimulantes, paulisper narcoticæ, sudoriferæ, sub incauto usu anxietatem & peculiarem cutis pruritum causantes. Usus fere nullus, attamen in tinea capitis, in scabie, in lepra tum interne tum externe utilis deprehensus. Decoctione foliorum pediculos, tineas & cimices necari posse dicitur.

Dosis a drachmis duabus ad unciam semis in infuso aquoso aut vinoso.

Monogr. Car. a Linnèe Diss. de Ledo palustri, Ups. 1775.

J. C. F. Rauchfuss Diss. de Ledi palustris natura & virib. Jen. 1793.

Rubia *Offic.*

Färberröthe.

Rubia tinctorum Botan. Rubia foliis annuis, caule aculeato Lin. Planta perennis in Italia, Gallia, Helvetia spontanea, in Germania, præcipue in Silesia prope Vratislaviam arte culta.

Pars usualis. *Radix*, longa, reptans, ex trunculo nodoso fibris lignosis calamum crassis obsessa, extus parenchymate tenui, pallide bruneo obducta, intus rubra cum medulla rubicundiori, saporis subadstringentis, amariusculi. In officinis præsto sit a parenchymate lignoso liberata. Tingit tam aquam, quam spiritum vini & olea destillata rubedine sua. Propterea magnus ejus technicus

usus. Alcali elevat, acidum obscurat colorem. Vires leniter roborantes, urinam, lac & ipsa ossa rubro colore tingentes. Hicce color ossium a vi adtrahente terræ calcareæ materiam colorantem derivatur, quin ideo ad consistentiam ossium emendandam aliquid contribuat. Interim in rachitide & morbis ossium aliis jam a Glissonio, & reiteratis post Cosnierum a Levreto experimentis medicamentum hoc laudatum fuit. Etiam in ictero a Sydenhamo.

Dosis ab uncia semis ad unam in libra decocti, cui nonnulli grana aliquot salis tartari addere solent. In pulvere drachma semis aliquoties de die.

Monogr. Fr. S. Wurfbein de Rubia tinctorum. Bas. 1707.

J. B. Boehmer de Rub. tinctor. effect. in C. animal. Lisp. 1751.

P. Dehtleff ossium calli generatio rubia radice demonstrata &c. Gott. 1753.

R. Cosnier ergo Rachitidi Rubia tinct.? Par. 1758.

G. Fr. Steinmeyer de Rubia tinct. Arg. 1762.

Fr. Oetinger de vitib. Rub. tinctor. antirachit. a virt. ting. non pendent. Tub. 1769.

Rubus *Offic.*

Himbeere.

Rubus idæus Botan: Rubus foliis quinato pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis Lin. Frutex in sylvis nostris luxurians.

Pars usualis. *Fructus*, baccæ, sursum convexæ, deorsum cavæ, ex multis acinis inter se junctis adgregatæ, succosæ cum seminibus mini-

mis, oblongis, coloris rubelli, saporis dulcis cum aciditate, odoris grati.

Præparata. *Acetum Rubi idæi* ex fructibus cum duplo aceti. Aqua Rubi idæi destillata, & Syrupus Rubi idæi ex succo baccarum cum Saccharo.

Vires refrigerantes, in æstu sthenico usitatissimæ.

Dosis ad libitum larga.

Monogr. R. J. Camerarius de Rubo idæo Tub. 1721.
J. H. Schulze de Rubo idæo. Hal. 1744.

Ruta *Offic.*

Raute.

Ruta graveolens Botan: Ruta foliis supradecompositis, foliolis oblongis terminali obovato, petalis integerrimis Willden: Subfrutex in Europa australi & Helvetia Spontaneus, apud nos in hortis cultus.

Pars usualis. *Herba*, Hippocrati & Dioscoridi jam grata, dum floret colligenda; foliis decompositis, e languido cæruleo viridibus, odoris peculiaris balsamici, saporis acris, amari, subaromatici, siccatione mitigandi. Adeo acris est, ut in manibus colligentium pruritum cieat.

Præparata. *Acetum Rutæ* ex herba sicca in duodecim partibus aceti macerata. Aqua Rutæ destillata. Oleum Rutæ destillatum, coloris flavidi, odoris gratioris, quam qui herbæ inest, frigore congelascens, parva quantitate $\frac{1}{444}$ fere totius obtinendum.

Ingreditur acetum antisepticum aquam vulnerariam utramque, balsamum saxonicum, species resolventes. Spiritum balsamicum.

Vires potenter stimulantes, sudoriferæ, antispasmodicæ, anthelminticæ, resolventes in morbis præcipue nervosis, spasticis & paralyticis laudabiles. Externe discutientes, antiputredinosæ, in gangræna, ozæna, aurifluxu fætido &c.

Dosis uncia semis in infuso aquoso aut vinoso. Acetum externe scopo antiseptico, interne, a drachmis duabus ad unciam semis. Aqua ad uncias duas & plures in mixturis.

Monogr. J. H. Slevogt de Ruta. Jen. 1715.
Abr. Vater de Ruta ejusdq. virtut. Vit. 1735.
Chr. G. Stenzel de Ruta medicina & veneno Vit. 1735.

Sabadilla *Offic.*

Sabadille.

Veratrum luteum Botan; vel alia fors planta est, quæ Semina Sabadillæ largitur, ex Regno Mexicano nobis adlata, tum nuda, tum intra capsulas integras vel diffractas recondita. Capsulæ sunt ovato oblongæ, compressæ, circiter semipollicares, coloris straminei, includentes semina bina, oblonga, uno extremo obtusa, altero acuminata, latere uno subplana, altero convexa margine acuto, compacta, nitida, profunde brunea vel nigrescentia & subrugosa, intus albida, saporis acerrimi ingrate amari, pungentis, salivam adtrahentis. Odore carent, attamen pulvis eorum naribus adtractus sternutationem causat. Pulvis mora vires deperdit.

Vires interne irritantes, anthelminticæ, drasticæ; externe pediculos necantes, monachis, militibus & nautis usitatæ. Tamen & externe cautus sit usus oportet, ne vomitus aut vertigo causetur. Madidam quoque memoriam reddere dicuntur.

Dosis pulveris interna adultis ad grana quindecim, infantibus nunquam ultra quinque grana. Testantibus Lentino & Plenkio mania & convulsiones usum internum sequebantur.

Sabina *Offic.*

Sewenbaum.

Juniperus sabina Botan: Juniperus foliis oppositis erectis decurrentibus, oppositionibus pyxidatis Lin. Frutex sempervirens in Italia, Helvetia spontaneus, apud nos hortensis.

Pars usualis. *Frondes* profunde virides odoris gravis, narcotici, resinosi, saporis amari, resinosi, acris. Olei stilatitii magna quantitas inhæret.

Vires summe stimulantes, circulationem valdopere adaugentes, nonnisi frigidissimis subjectis utiles, ob hæmorrhagias, quas facile causant, interne potius vitandæ. Externe pulvis subtilissimus condylomatibus, polypis & ulceribus fungosis scopo corrosivo inspergitur, non semper optato effectu. Superfluum sane pharmacon.

Monogr. G. W. Wedelius de Sabina. Jen. 1707.

Saccharum Zucker.

Saccharum officinale Botan: Saccharum floribus paniculatis, foliis planis Lin. Gramen pe-

renne arundinaceum in paludosis utriusque India tum sponte crescens, tum arte cultum, ex cujus culmis succus exprimitur, coctione condensatus, despumatus, varie depuratus & rafinatus, Saccharum sistens, cujus variæ species pro diversa puritate occurrunt.

Saccharum est sal efsentialis dulcis, crystallisabilis crystallis tetrædris. Etiam nostratibus nonnullis vegetabilibus inest, sed lucro minori extrahitur. Ex arundine Saccharina paratum atque in panibus conicis vulgo vendibile, candidum est, durum & friabile, in fragmentis micans, in aqua, inprimis calida plenarie solubile, difficilius in spiritu vini; ardet intumescens flamma cærulea sub grato odore disperso & carbone relicto; olea ætherea, si cum iis teritur, in aqua solubilia reddit.

Rejectanea varia arundinis Sacchari, & spuma sub Sacchari coctione adscendens fermentationi commifsa, destillatione inflammabilem spiritum largiuntur, qui spiritus Sacchari, Anglis Rum, Gallis Taffia dicitur; ad solutionem gummi Guajaci nativi in officinis adhibetur.

Græcis & Romanis Saccharum incognitum erat; melle pro edulcoratione utebantur. Serius innotuit Saccharum quoddam naturale crystallisatum, mel arundinaceum a Plinio & Galeno memoratum. Arabum Saccharum manna fuit. Seculo primum XII. arundo Saccharina in diversis orientalibus locis jam colebatur; & Seculo XV. ars vera innotuit Saccharum artificiale parandi.

Vires Sacchari mucilaginosæ, emollientes, relaxantes, externe lenifsime irritantes, detergen-

tes. Interne quammaxime ad medicamina edulcoranda, & varia præparata pharmaceutica, syrupos, conservas, elæosacchara &c. adhibetur, nec non ad volumen medicaminum heroicorum in minimas doses dividendorum augendum. Externe ad ulcera sarcotica, fistulosa, aphtosa depuranda, ad dentes sordidos purificandos, ad maculas corneæ detergendas, atque ad enemata alvum leniter sollicitantia usurpatur. In Diæteticis fusius pertractandum.

Curiosum est, quod ex Tavernerio (itin. orient) adnotat Trillerus, Saccharum optimum per triginta annos adservatum in atrocissimum venenum mutari; imo viperam a recenti Saccharo necatam fuisse.

Monogr. Ang. Sala Saccharologia.
Fr. Hoffmann de Sacchari hist. nat. & med. Hal. 1701.
J. Fr. Depre de arundine Sacchar. Erf. 1719.
G. Crump de arund. Sacchar. L. B. 1720.
S. Kiuck de diæta Saccharat. Reg. 1723.
J. H. Bonhoefer de Saccharo ejusq. vir. & usu. Alt. 1752.
J. Astruc. an Saccharum alimentum? Par. 1759.
J. Fr. Cartheuser de Saccharo. Frf. 1761.
A. G. Platz de Saccharo. Lips. 1763.
J. Gourlez de la Motte an condimenta Sanit. nox? Par. 1765.
G. Ch. Moeller de Saccharo. Giefs. 1768.
J. de Zalheimb. de Saccharo. Vien. 1772.
J. H. Ruys de Sacch. eff. salubr. & insalubr. Duisb. 1775.
Th. Bergmann de acido Sacchari. Ups. 1776.
J. Fr. Schrickel de salib. Saccharinis vegetabil. & Sacch. vulg. Giefs. 1776.

J. G. Baumer cautela chym. med. de Sacch. usu. Gieſs. 1776.

Sagapenum *Offic.*

Sagapengummi.

Gummiresina ex arbore adhuc indeterminata incisione vulnerata promanans, ex Media, Persia, Alexandria in lacrumis vel granis advecta pellucidis, rufescentibus aut subflavis, aut & albicantibus — quæ optima; manus calore mollescentibus, saporis, ingrati, amari, acris odoris, porracei. Partibus resinosis prægummosis superabundat, igitur flammæ admotum ardet.

Vires more gummiferulaceorum stimulantes, resolventes, antispasmodicæ; externe discutientes, maturantes. Usus rarus, utpote aliis similibus pluribus prostantibus.

Dosis a granis decem ad triginta. Forma pilularis.

Sal alcalinus mineralis vide Soda.

Sal alcalinus vegetabilis.

Alcali vegetabile purum, Carbonas lixivæ Chem. Sal medius ex acido carbonico & alcali lixivioso tum in nitro habetur, tum ex vegetabilibus incineratis & elixatis magna quantitate obtinetur. Triplex fere habetur. Sal tartari, ex tartari combustione, elixatione, filtratione & evaporatione adquiritur, purisſimus est omnium, ac securrisſimus pro usu medico. Cineres clavel-

lati sunt alcali vegetabile fixum impurum ex incineratis lignis elixatum, ad siccitatem coctum ac in fornacibus peculiaribus calcinatum. Minime purum est, sed partibus heterogeneis inquinatum, subinde carbonibus, cineribus, terra & arena, communiter etiam salibus mediis, præcipue tartaro vitriolato. Propterea etiam cineres clavellati sordidi semper sunt, coloris grisei, aut ex griseo cærulescentis, atque pro usu medico depurandi. Sal herbarum denique variarum incineratarum, quemadmodum quondam ex absinthio, genista, junipero &c. præparatur, idem omnino sal est cum reliquo alcali vegetabili.

Omne hocce alcali saporis est ingrati, acris & urinosi, in aqua libentissime solvitur atque in aëre minime humido liquescit, proinde siccissimis locis & vasis probe clausis adservandum.

Præparata. Suspensum alcali vegetabile in sacculo lineo loco humido, ut deliquescendo in vas subpositum depluere possit, liquorem Salis tartari sistit valde ponderosum, vulgo oleum tartari per deliquium (liquor carbonatis lixivæ.)

Ad obtinendum alcali vegetabile causticum, atque ad acidum carbonicum ex illo absorbendum, calcis exstinctæ partes tres cum una parte alcali vegetabilis miscentur, filtrantur & evaporantur, donec omnis aqua abacta sit & massa instar olei fluat, tuncque effunditur in modulos vel supra laminam frigidam atque indurata servatur sub nomine lapidis caustici chirurgorum (lixiva pura.)

Vires alcali vegetabilis sunt acidum in primis viis absorbentes, viscidos & pituitosos humores incidentes, anthelminticæ, irritabilitatem muscularem inhibentes, propterea valdopere antispasticæ. Interpollatis opiatis in tetano morbisque convulsivis aliis sanandis aliquam sibi laudem alcali hocce nuper promeruit. Acidis inter pollatis, aut sub ipsa cum illis effervescentia exhibitum, celebre antiemeticum Riveriarum sistit. Quin & per se atque solum exhibitum vomitum quemvis inhibet, nam irritabilitatem ventriculi imminuit. Hinc intelligitur, cur protractus ejus usus ab expertis practicis vituperatus fuerit, utpote vires ventriculi debilitans. Caute tamen adhibitum morbos convulsivos alios plurimos, præcipue infantum, feliciter sanat, quod propria plura post Cel. Michaelis experimenta confirmarunt. In calculo renum & vesicæ etiam laudatur. Externe ad impuritates cutaneas, scabiem, tineam & furfures capitis adhibetur, animalibusque venenis multum contrarium videtur, sicuti & mineralibus acidis interne sumtis. Multum quoque usui pharmaceutico inservit, tum ad Sales medios & saponem parandos, tum ad resinosas partes vegetabilium sub coctione aut infusione extrahendas. Oleum tartari per deliquium ad tentandas corporum proprietates, reagentibus etiam adnumerandum. Lapio causticus, caustico scopo a Chirurgis adibetur, ad ulcera sordida, fistulosa depuranda, addestruendum venenum rabidum, viperarum, venereum in ulceribus genitalium &c. Solutum quoque granum unum alterumve in uncia aquæ destillatæ pro injectionibus in gonorrhæa & fluore albo inservit.

Dosis alcali vegetabilis interna est a granis quinque ad decem & ultra in die, olei tartari a guttis decem ad viginti in aqua destillata.

Monogr. J. H. Schmeuser de usu & abusu alcalium L. B. 1698.
Fr. J. de Overkamp de Salium alcal. fixorum noxis. Heidelb. 1750.
Fr. A. Klebe de medicam, alcalin. varia indole ac virtutibus. Hal. 1792.

Salamarus, Bittersalz.

Sulfas magnesiæ Chem. magnesia vitriolata, Sal imperfecte medius terrestris ex connubio acidi vitriolici cum magnesia alba, crystallos formans aciculares, quadrilateras columnares cum bilateris extremis, pellucidas, albas, saporis amari. In aquæ frigidæ quantitate sesqui altera penitus solvitur, minime vero in spiritu vini; in aëre cum pelluciditatis dispendio sensim in pollinem album fatiscit; igne primo intumescit, postea siccatur, tandem funditur. Gypso aut Sale mirabili sæpe inquinatus deprehenditur. Prostat plurimum nativus, potissimum in aqua fontium Salsorum; apud nos in aquis Bohemiæ amaris, ex quibus Sal Sedlicensis & Seidschücensis excoquitur, in Anglia Ebshamiensis. Sed etiam artificialis paratur, & quidem in Anglia ex residuo lixivio depurationis Salis marini elaboratur, nobisque transfertur, unde & Sal anglicus vocatur.

Si anaticæ partes Salis amari & alcali vegetabilis in aqua fervida seorsim solutæ commiscentur,

& facta una alterave ebullitione loco quieto & frigido exponuntur, magnesia præcipitatur, quæ perfecte edulcata & siccata in officinis servatur, magnesia alba sive muriæ dicta (carbonas magnesiæ.) Quæ si ustione sub fortiori igne acido carbonico privatur, magnesia pura evadit, usta magnesia dicta, in vase vitreo bene clauso adservanda. Prior, utpote medius sal, in aqua pro parte solvitur, atque saporem terrestrem offert; posterior in aqua insolubilis & saporis expers est.

Vires & dosis.

Sal amarus in minori dosi vires exserit refrigerantes, solventes, in majori dosi purgantes. Ab uncia semis ad unam in aqua solutus adultis exhibetur, dum alvus movenda est. Eodem scopo clismatibus quoque additur. Nonnullis idiosyncrasiis ob ingratum saporem vomitum causat.

Magnesiæ albæ vires sunt acidum absorbentes, lenissime quandoque eccoproticæ. Propterea infantibus ad acidum primarum viarum corrigendum, & ad alvum leniter movendam solemne remedium. Ad grana decem ipsis infantibus bis aut ter in die exhiberi potest. Adultis in majori dosi, quibus etiam chymi ranciditatem corrigere valet. Magnesiæ ustæ vero dimidia dosis sufficit.

Monogr. Neh. Grew. tract. de Salis amari in aquis Ebsham. contenti nat. & usu. Lond. 1695.
M. B. Valentini relatio de Magnes. alba. Giefs. 1707.
J. H. Slevogt Magnes. alba nov. & innox. purgans. Jen. 1709.
J. J. Fick de Sacch. lact. & Magn. alba. Jen. 1713.

J. A. Wedel de Sale cathart. amaro anglico, vulgo Epsoniensi. Jen. 1715.
— — — — de Magn. alba. Jen. 1732.
H. P. Juch de Sale Anglor. Epson. Erf. 1746.
Chr. G. Debra de cauto & incauto Sal. amari sedlicens. usu &c. Prag.
H. Schmitk. de Magn. alb. Edinb. 1752.
J. Black de Magn. alb. Edinb. 1754.
H. J. Ruperti Magn. alb. propriet. Helmst. 1762.
A. J. Orlov de Magnes. Edinburg. Reg. 1773.
J. C. G. Schäffer de Magnesia. Arg. 1774.
Bergmann de Magn. alba. Ups. 1775.
Chr. Fr. Jäger de Magnes. cruda & calcin. Tub. 1779.
J. Chr. Gehler de insigni Magnes. offic. differentia. Lips. 1779.
J. G. Becker Difs. de sale amaro. Erl. 1796.

Sal ammoniacus. Salmiak.

Murias ammoniæ Chem. Alcali volatile salitum, sal scilicet neuter, ex acido salis & alcali volatili compositus, in crystallos abiens parvas, flexiles, sexlaterales, pyramidales, ob plurium concretionem speciem pennatam induentes, albi coloris, saporis perquam ingrati, pungentis, acrioris ac reliquorum salium. In sexduplo aquæ frigidæ solvitur, frigore solutionis adaucto; fervidæ autem aquæ nonnisi anaticam partem pro solutione requirit. Ex aëre humorem vix adtrahit; prunis inspersus flammam viridescentem format, atque fumi albi specie totus in auras avolat, aut fortiori igné vasis clausis sublimatur. A natura ipsa parce procreatur, in montibus ignivomis & in Tartaria nativus quidem deprehenditur, maximam vero partem arte

paratur, tum in Aegypto e fuligine sublimata fimi camelini, tum in Anglia, Gallia, Belgio e principiis suis constitutivis. Uterque in placentas magnas compactus divenditur, vitiatus sæpe Sale communi, atque in usum medicum depurandus, aut sublimandus. (Flores Salis ammoniaci.) Circa annum 834 jam atte paratus fuit.

Præparata. *Spiritus Salis ammoniaci* multiplex. Communis vel aquosus (liquor carbonatis ammoniæ) ex destillatione anaticarum fere partium Salis ammoniaci & alcali vegetabilis in aqua destillata solutarum, vel & ex simplici solutione partis unius alcali volatilis sicci (carbonas ammoniæ) in triplo aquæ destillatæ obtinetur. Alcali autem volatile siccum ex sublimatione Salis ammoniaci cum duplo cretæ mixti exoritur. Salis ammoniaci vero cum duplo calcis vivæ in adparatum Woulfianum aqua destillata provisum destillatio spiritum Salis ammoniaci causticum largitur, seu ammoniam puram. Qui commixtus cum quadruplo spiritus anisi spiritum Salis ammoniaci anisatum; cum duplo spiritus lavandulæ spiritum Salis ammoniaci lavandulatum vulgo aquam anodynam; & cum duplo spiritus vini rectificatissimi spiritum Salis ammoniaci vinosum officinarum nostrarum sistit; cum oleo denique caryophyllorum, cinnamomi, macis & spiritu aromatico liquorem seu Salem volatilem oleosum. Sapo ammoniacalis vulgo linimentum volatile ex mixtione ejusdem spiritus ammoniaci caustici cum quadruplo olei olivarum vel amyg-

dalarum exoritur. Flores Salis ammoniaci martiales & Tinctura nervino tonica vide ferrum. Spiritus Mindereri vide acetum.

Vires & dosis.

Sal ammoniacus vires exserit cum stimulo resolventes, incidentes, nonnisi in majori dosi purgantes aut & emeticas. In morbis pituitosis & lymphaticis, in obstructionibus viscerum, in cachexia exinde oriunda, in chlorosi, hydrope, in ipsis intermittentibus febribus &c. maximum usum merito meretur. Externe est egregium resolvens medicamen in tumoribus frigidis, in contusionibus & sugillationibus, hydrocele, angina, ophthalmia frigidis, mania, e serosis congestionibus &c. nec non irritans medicamen in carie ossium & partium mollium gangræna, pulveris inspersi vel fomentationis forma.

Dosis interne a granis decem ad triginta & ultra in die, forma pulveris, mixtura, electuarii. Externe major dosis, aut quantum in fomento solvi potest.

Spiritus Salis ammoniaci aquosus vires habet stimulantes, excitantes, nervinas, diaphoreticas, diureticas, acidum absorbentes, in morbis nervosis tum febrilibus (præcipue cum lenta exanthematum eruptione) & a febrilibus apoplexia, lethargo, præsertim autem in pectoris lentis pituitosis aut nervosis morbis summe efficaces. Externe in animi deliquio, debilitate vera, asphyxia &c. naribus scopo excitante admovetur, aut frictione adplicatur. Itidem linimenti volatilis forma in

debilitate omni locali, paralysi, arthritide inflamatione spuria, hydrope &c. Interne drachma semis & ultra de die e vehiculo aquoso dari potest.

Spiritus Salis ammoniaci causticus vero majores adhuc excitantes & stimulantes vires possidet, atque simul externe irritantes & rubefacientes. Idem de vinoso, anisato, lavandulato intelligendum, ratione stimuli parum diversis ob olei simul ad mixti ætherei diversitatem.

Monogr. G. W. Wedel de Sale ammoniaco. Jen. 1695.
Felfs, Penoti, Rolfink de eod. arg.
Legell histor. Sal. ammoniaci.
Th. Balthasar de Sale ammoniaco. Alt. 1702.
W. G. Muys de præcl. Sal. ammon. ad febr. interm. usu. Fran. 1716.
Ch. D. Meltzer de Sal. ammon. nat. & usu. Reg. 1720.
J. A. Salchlin de Sale ammon. Bas. 1724.
M. G. Loescher de Sale ammon. Vit. 1726.
H. P. Juch de Sale ammon. Erf. 1729.
H. Ludolff de Sale ammoniacali &c. Erf. 1750.
J. G. Model Schediasma de Sale ammon. nativo. Lips. 1758.
A. Nietzky de Sal. ammon. vitriol. quad. specie. Hal. 1763.
G. R. Boehmer de Salib. ammoniacal. Vit. 1767.
Chr. Fr. Jäger de spir. Sal. ammon. cum calce viva &c. Tub. 1768.
G. A. R. Schmid de Sal. amon. Gott. 1788.
J. Olig de natura & usu salium volatil. Hafn. 1693.
Fr. B. Wever Diss. de alcali volat. Erl. 1795.

Sal communis, culinaris, fontanus.

Kochsalz.

Murias Sodæ Chem. Alcali minerale salitum sal scilicet neuter ex acido salis & alcali minerali, crystallos formans cubicas, in aëre invariabiles, coloris albi, saporis peculiaris vere salsi, in igne cum crepitatione difsilientes, in quadruplo fere aquæ frigidæ & calidæ penitus solubiles. Sal hic in Anglia, Rufsia, Polonia, Hungaria effofsus Sal gemmæ sive fofsilis; ex aqua marina in Britania, Hispania &c. extractus Sal marinus, atquæ ex lacubus fontibusque salsis excoctus, Sal fontanus vocatur; quorum nullus perfecte purus.

Præparata. *Spiritus Salis acidus* (acidum muriaticum) ex sale communi admixto oleo vitrioli elicitus destillatione obtinetur. Cum spiritu vini rectificatifsimo & magnesia vitrariorum mixtus destillatusque, spiritus salis dulcis vocatur, spiritus ætheris muriatici.

Vires & dosis.

Sal communis viribus cum stimulo solventibus atque purgantibus gaudet, quas posteriores consuetudo sub usu quotidiano salis culinaris multum infringit. Condimentis ergo culinaribus, non medicaminibus adnumeretur. Externe vero scopo resolvente, ut ajunt discutiente, leniterque irritante ad epithemata pro contusionibus, ad aquas vulnerarias, ad sinapismos, ad pediluvia, nec non ad clismata irritantia & revellentia frequenti usu exhibetur, & quidem pro majori irritamento muria

Salis communis, seu quantum in aqua disſolvi potest. Pro vulgari vero enemate minus irritante uncia semis Salis plerumque sufficit. Aqua marina pro balneis in scabie & morbis cutaneis laudatur; possent ergo etiam talia balnea artificialia facile parari.

Spiritus Salis acidus interne hodie magno cum fructu experimentis Reichianis, propriisque recteratis in morbis febrilibus fere omnibus, præcipue nervosis malignisque cum fructu sæpe, & quidem generosisſima dosi exhibetur. Uncia semis de die in vehiculo aquoso facilius adhuc fertur ab ægris, major dosis difficilius, vomitum diarrhæamve causat, fauces erodit. Neque desunt observationes, quæ acidi hujus vires medicatrices in ipsa lue venerea, aliisque cachexiis commendabiles reddunt. Ceterum scopo caustico, ad vulnera a canis rabidi morsu, ad gangrænam, cariem, ad ulcera aphthosa depuranda diu jam externe hoc acidum cum fructu adhibitum fuit.

Spiritus Salis dulcis, naphtarum omnium gratisſima, vires summe analogas cum liquore anodyno poſsidet; stimulantes, excitantes, nervinas, diureticas, dosisque æque varia in casu vario, a guttis decem ad quadraginta & ultra.

Monogr. Th. Balthasar de Sale communi. Alt. 1702.
Fr. G. Erckel de Sale communi. Duisb. 1719.
G. Harmens de Sale communi. Lond. 1748.
Licht. de Sale communi. Hafn. 1749.
A. E. Buchner de part. constit. Sal. com. hujusq. actione in C. H. Hal. 1754.
G. Blackburre de Sale com. Edinb. 1780.
Storr de usu acidi muriatici chirurgico Tub. 1787.

S. Zeller pract. Bemerkungen. Wien. 1797.
G. Chr. Reich vom Fieber. Berl. 1800.

Plura de sale communi in Diætesicis.

Sal mirabilis Glauberi.

Wundersalz.

Sulfas sodæ Chem. Soda vitriolata, sal perfecte medius ex acido vitriolico & alcali minerali, occurrens sub crystallis majoribus prismaticis, sex lateribus inæqualibus & extremis bilateris, albis, semipellucidis, saporis primo refrigerantis, postea amari. In aëre farinescit & in pulverem dilabitur, in aquæ frigidæ quadruplo & fervidæ anaticis partibus solvitur; super igne liquescit, fortissimo denique funditur. Natura nobis hunc salem præbet nativum in aquis variis soteriis, v. g. Carolinis in Bohemia, Furediensibus in Hungaria &c. ex quibus vili pretio educitur, & vix non plurimorum fontium salsorum aquis inhæret; imo & siccum aliquando ex muris (etsi non purum) efflorescit, & in ipsa terræ superficie occurrit. Magna tamen salis hujus venalis pars arte producitur, atque ex sale communi conficitur, aut sub destillatione acidi salis obtinetur &c. Hinc sæpe inquinatum deprehenditur, vel acido salis, vel sale communi, vel magnesia aut sale amaro.

Vires refrigerantes, resolventes, in majori dosi purgantes, viribus salis amari & arcani duplicati multum analogæ.

Dosis pro adultis uncia semis & ultra, scopo purgante, in vehiculo aquoso sufficienti. Scopo resolvente ad drachmam unam in die, imo & minori

dosi, si alvum movet. Etiam in clismatibus irritantibus & purgantibus.

Monogr. J. Fr. Cartheuser de sale mirab. Glaub. nativo. Frf. 1764.

v. Delius vorläuf. Nachr. von dem sale aperitivo Fridericiano. Hildb. 1768.

B. Trommsdorf. Pr. de sale mirabili. Gl. Erf. 1771.

Sal polychrestus, vide Arcanum duplicatum.

Sal Seignetti } vide Tartarus.
Sal Tartari }

Salep *Offic.* Salepwurzel.

Orchis Morio Botan: Orchis bulbis indivisis, nectarii labio quadrifido crenulato, cornu obtuso, petalis omnibus conniventibus Lin. Planta perennis in Sylvis & pratis nostris indigena.

Pars usualis. *Radix*, æstate exeunte colligenda, bulbosa, oblonga, inferius acuminata, solida, dura carnosa, magnitudinis circiter nucis moschatæ, coloris pallidi, saporis mucilaginosi, odoris hircini, qui siccando perit. Olim radix hæc ex Persia & China advehebatur, nunc autem extra dubium positum est, omnes fere plantas ex genere orchidum in Europa indigenas earumdem virium radices subpeditare, præcipue Orchio mascula, morio letifolia, maculata, bifolia, pyramidalis Lin. Ad detergendam externam cuticulam aquæ calidæ intinguntur, dein filo trajecto in aëre suspensæ siccantur. Sic transparentes evadunt, & cornu instar duræ, atque exoticis simillimæ. Tantum mucilaginis aut potius farinæ continent, ut masticatæ labia adglutinent, atque drachma una in octo unciis aquæ

cocta mucilaginem gummi tragacanthæ similem largiatur.

Vires mucilaginosæ, emollientes involventes, nutrientes, in diarrhæa, dysenteria, tabe &c. multum proficuæ.

Dosis in pulvere a drachma semis ad unam; sed nauseosa est; attamen in aqua, lacte, jusculo dissolutus ille pulvis non ingratam mucilaginem sistit. Pro decocto libræ unius sufficit drachma una radicis per quadrantem cocta.

Monogr. J. Chr. Handtwig de Orchide. Rost. 1747.
Percivall, Moult de eod arg. in fragm.

Salicaria, Lysimachia *Offic.* Weiderich.

Lythrum salicaria Botan: Lythrum foliis oppositis cordato lanceolatis floribus spicatis dodecandris Willden: Planta perennis ad ripas aquarum in tota fere Europa obvia.

Pars usualis. *Folia* amplexicaulia, cordato lanceolata, in pagina inferiori subpilosa, saporis adstringentis, submucilaginosi.

Vires leniter adstringentes, mucilaginosæ, in diarhæa, dysenteria, hæmoptoe & fluore albo laudatæ. Attamen herba facile superflua.

Dosis in pulvere a drachma semis ad drachmam unam; potius in decocto uncia semis vel integra; præcipue pro usu externo vulnerario, fomento, balneo &c.

Monogr. Mich. Sagar Diss. de salicaria. In Wasserberg fascic. Dissert.
J. Scherbius de Lysimachiæ purpur. virtute med. Jen. 1790.

Salvia *Offic.*

Salbey.

Salvia officinalis Botan: Salvia foliis lanceolato ovatis crenulatis, verticillis paucifloris, calycibus mucronatis Willden: Fruticulus in Europa australi spontaneus, apud nos in hortis frequens.

Pars usualis. *Folia* subflorescentia legenda, lanceolato ovata, subtiliter crenata, crassa, papillosa, ex griseo viridescentia, odoris fortis aromatici, saporis amariusculi, subadstringentis. Amaras & adstringentes partes aqua, aromaticas spiritus vini elicit.

Præparata. *Aqua salviæ* foliorum destillata, fragrans. Oleum salviæ destillatum ad scrupulos fere duos in libra contentum, ab initio viride vel album, ætate flavescens, acre & calidum, temporis mora odorem camphoraceum adsumens. In nonnullis pharmacopoliis conserva prostat.

Ingreditur acetum antisepticum, aquam vulnerariam utramque, balsamum saxonicum, species pro Thèe & resolventes.

Vires stimulantes, roborantes, resolventes; in sudoribus nocturnis a laxitate, in fluore albo ex eadem causa, & aphthis infantum multum usitatæ; jam ab Hippocratis & Plinii temporibus. Externe ad fomenta resolventia, antiseptica, & collutoria tonica in gingivarum laxitate.

Dosis a drachmis duabus ad unciam semis pro libra infusi.

Monogr. Paullini tract. de salvia S. herba sacra.
G. W. Wedel. de salvia. Jen. 1715.
C. G. Stenzel de salvia præ Thèe Chin. præstant. Vit. 1723.
A. E. Ettlinger de salvia. Erl. 1777.

Sambucus *Offic.*

Holder.

Sambucus nigra Botan: Sambucus cymis quinquepartitis, caule arboreo Lin. Arbor humilis ad sepes in pagis nostris & in tota fere Europa crebra.

Partes usuales. *Flores*, cymæ quinquepartitæ, corollis monopetalis, rotatis, quinquefidis, albis, pedunculis & pedicellis ex viridi albis, odoris peculiaris balsamici, subnarcotici, saporis mucilaginosi, amaricantis. *Baccæ* nigrescentes, subrotundæ, umbilicatæ, uniloculares cum seminibus tribus & succo multo ex nigro rubro, saporis acido dulcis, vix grati. *Cortex interior* viridis, tempore verno detrahendus, ab exteriore parte cinerea & aspera liberandus.

Præparata. *Acetum Sambuci* ex floribus siccis cum duodecim partibus aceti maceratis. Aqua florum sambuci destillata ex recentibus. Roob sambuci ex succo baccarum cum sexta parte sacchari inspissato Syrupus baccarum sambuci ex succo cum duplo sacchari.

Ingreditur Roob electuarium lenitivum & purgans.

Vires & dosis.

Florum vires sunt leniter stimulantes, diaphoreticæ; externe discutientes, forma sicca in

sacculis ad erysipelas & œdema; forma gargarismatis in angina, forma epithematis in ophthalmia. Dosis a drachmis duabus ad unciam semis pro una libra infusi. Aceti uncia una & aquæ plures unciæ de die.

Baccarum vires lenissime stimulantes, solventes, eccoproticæ, diureticæ. Roob & Syrupus ad unam & plures uncias de die, in mixturis, electuariis.

Cortex a plebe ad obtegendas partes erysipelatosas expetitur. Interne vires diureticas, quin & purgantes exserit, hydropicis non inutiles. Uncia semis vel & integra, præcipue recentis, in vino infunditur.

Monogr. Blochwitzii Anatomia Sambuci.
G. W. Wedel de Sambuco. Jen. 1720.
G. R. Boehmer de Sambuco in totum medicinali. Vit. 1771.

Sanctum lignum vide Guajacum.

Sandaraca vide Juniperus.

Sanguis Draconis *Offic.*

Drachenblut.

Resina friabilis, profunde rubra, odoris, nisi liquefiat fere expers, saporis adstringentis, ex variis orientalibus vegetabilibus, præcipue vero e fructibus Calami Rotang & ex cortice Pterocarpi Draconis Botan: tum spontanea stillatione, tum expressione obtenta, mox in lacrymis sive granis, mox in frustulis, mox & in tabulis adlata in aqua minimæ solubilis, facillime in spiritu vini atque

oleis, solutionem eleganter rubram exhibens. Pessime adulterata occurrit.

Vires tribuuntur adstringentes & siccantes. Remedium hodie facile superfluum, dum meliora indigena possidemus. Interne vix unquam, externe ad gingivarum laxitatem in spiritu vini solutum adhibetur.

Dosis a granis decem ad viginti pro usu interno.

Monogr. J. Fr. Ochs de Sanguine Draconis. Alt. 1712.

Santalum rubrum *Offic.*

Rothes Sandelholz.

Pterocarpus santalinus Botan: Arbor utriusque Indiæ, præcipue in Zeylon, Golconda & Timor, vicinisque insulis crebra.

Pars usualis. *Lignum* ponderosum, durum, in magnis frustis longitudinaliter scissis advectum, extus profundissime, intus lætius rubris. Sapore & odore caret, aquam flavo, spiritum vini rubro colore tingit, nam maxima virtus in resinoso principio. Tinctoribus utilius quam medicis.

Ingreditur tincturam lignorum.

Vires leniter roborantes, olim depurantes dictæ.

Dosis ab uncia una ad duas in decocto protractiori.

Santonicum vide Cina.

Sapo, Seife.

Substantia ex conjunctione olei cum sale alcalino artefacta. Vulgaris sapo ex oleo unguinoso aut

& pinguedine animali cum alcali vegetabili componitur; ast peregrinorum additamentorum suspectus. Purior est hungaricus Debreczinensis, Venetus & omnium purissimus Hispanicus ex oleo olivarum cum soda. Variarum harum specierum consistentia varia est, attamen talis, ut digitis tractari possit, sapor odorque omnium ingratus. In aqua optime solvitur, solutionem largiens lacteam, facile spumescentem, per quodvis acidum decomponendam. Attamen etiam in spiritu vini, excepto pauco residuo dissolvitur. Jam a Plinio saponis mentio fit.

Præparata. *Emplastrum saponatum*, diachylon scilicet simplex cum sapone veneto & pauxillo camphoræ. Spiritus saponis, ex sapone veneto in spiritu vini soluto, addita aqua lavandulæ & pauxillo alcali vegetabilis.

Vires ab alcali plurimum pendent; interne resolventes, leniter purgantes, acido contrariæ. Externe leniter irritantes, abstergentes, resolventes, ad tumores induratos usitatissimæ.

Dosis interne a granis quinque ad decem & ultra. Præplacet forma pilularis ob saporem nauseosum, propterea & rarus internus usus. Externe frustulum oleo intinctum pro subpositorio inservit; etiam ad clismata. Scopo resolvente emplastrum, spiritus, aut fomentationes cum sapone soluto. Ad vesicantia irritanda, ut subpuratio promoveatur, chirurgi saponem nigrum cum unguento digestivo pro deligatione miscent.

Monogr. J. H. Schulzii Diss. de saponis usu medico. Hal. 1746.
G. G. Küchelbeker de saponibus. Lips. 1756.
J. Markmüller Diss. de sapone veneto Vind. 1757.
A. Daller de saponibus Bas. 1767.
J. Th. Brey Diss. de saponibus in genere & specie. Oenop. 1774.
A. Fr. Hildebrand Diss. sistens internum saponis usum nocivum. Marb. 1794.

Saponaria *Offic.*

Seifenkraut.

Saponaria officinalis Botan: Saponaria calycibus cylindricis, foliis ovato lanceolatis Lin: Planta perennis ad rivulos in variis Europæ locis sponte crescens, in hortis flore pleno culta.

Partes usuales. *Herba*, foliis ovato lanceolatis, oppositis, glabris, integerrimis, odoris expers, saporis mucilaginosi, amaricantis. *Radix* primo vere fodienda, longa, digitum minimum crassa, geniculata, solida, fibrosa, extus epidermide rubescente vestita, quæ siccatione rufescit, intus ex albo flavescens, saporis subglutinosi, ab initio dulcis, postea amaricantis subausteri, odore carens.

Præparatum. *Extractum saponariæ* ex decocto herbæ siccæ inspissato.

Vires leniter solventes, subtonicæ, inepte in lue venerea laudatæ, si meliora negliguntur.

Dosis ad unciam unam & ultra in libra decocti, quod agitatum instar saponis spumescit & sordes pingues linteorum eluit, ab acidis vero non decomponitur. In decocto foliorum manifestius hoc contingit. Imo extractum ore agitatum salivam spu-

mescentem reddit. Hocce ad drachmas duas & ultra de die exhibetur forma pilulari.

Monogr. H. Ludolff de radice saponaria. Erf. 1756. J. Fr. Cartheuser de saponaria. Frf. 1760.

Sarsaparilla *Offic.*

Sarsaparille.

Smilax Sarsaparilla Botan: Smilax caule aculeato angulato, foliis inermibus ovatis retuso mucronatis trinerviis Lin. Frutex sarmentosus in America, præcipue in regno Peruviano, Mexicano & Brasilia sponte crescens. Etiam in Japonia & regno sinensi?

Pars usualis. *Radix*, seu potius radicis crassæ, tuberosæ rami longissimi; pennam anserinam crassi, fibrosi, tenaces, flexiles, facillime juxta longitudinem diffindendi, foris obscuriores, intus albicantes, saporis subamari, farinacei & subsalsi. Adferuntur in corbibus vel globosis, vel sphæricis. Circa annum 1530 usus in Europa innotuit.

Ingreditur species decocti lignorum.

Vires similes saponariæ, quæ & probe huic exoticæ radici substitui potest. Vires diureticæ, diaphoreticæ ab aqua decocti pendere videntur; atque Cartheusero testante officinæ nostræ Sarsaparilla æque ac china nodosa commode carere possunt. Etiam Carex arenaria Botan: a nonnullis substituta fuit.

Dosis. Uncia una cum libra aquæ coquitur ad remanentiam medietatis. Decoctum hocce spumam agit, & manus nitentes reddit. Ceterum autem fa-

tuum jam a Vesalio & recentius ab Inl. Swietemio pronuntiatum fuit.

Safsafras *Offic.*

Safsafrasholz.

Laurus Safsafras Botan: Laurus foliis integris trilobisque Lin. Arbor in temperatioribus Americæ septentrionalis regionibus, Virginia, Carolina, Florida, Canada habitans.

Pars usualis. *Lignum* radicis, in frustis longis, levibus, compagis spongiosæ prostans, coloris ex albo ferruginei, odoris fragrantis ad fœniculum accedentis, saporis subdulcis, aromatici. Cortice instructum est, qui etiam solus a medicis præscribitur; rugoso, spongioso, crafso, ferrugineo, odoris & saporis fortioris. Circa annum 1563 in Europa innotuit.

Prostat in nonnullis pharmacopoliis oleum destillatum, fragrans, initio limpidum, ætate flavescens, & rubescens in aqua fundum petens.

Ingreditur tincturam lignorum.

Vires stimulantes, diaphoreticæ, in morbis chronicis rheumaticis, cutaneis, crebro usitatæ.

Dosis ligni a drachmis duabus ad quatuor, corticis ab una ad duas drachmas pro libra infusi.

Monogr. J. Neandri. Safsafrasologia.

Scabiosa *Offic.*

Scabiose.

Scabiosa arvensis Botan: Scabiosa corollulis quadrifidis radiantibus, foliis pinnatifidis incisis,

caule hispido Willden: Planta perennis in pascuis, pratis & ad margines agrorum frequens.

Pars usualis. *Herba*, mense Junio & Julio colligenda, foliis multum diversis, inferioribus integerrimis, superioribus laciniatis, ovato lanceolatis, odoris nullius, saporis amariusculi.

Ingreditur species pro Thèe.

Vires lenissime roborantes, ad morbos pectoris magnopere quondam, sed absque sufficienti ratione laudatæ.

Dosis ad unciam semis & ultra pro libra infusi.

Scammonium *Offic.*

Scammonie.

Convolvulus Scammonia Botan: Convolvulus foliis sagittatis postice truncatis, pedunculis teretibus subtrifloris Lin. Planta perennis, convolvulo sepium simillima, in Syria circa Antiochiam, in insulis Lesbo & Samo obvia.

Pars usualis. *Gummiresina*, seu succus concretus, qui e radice plantæ hujus incisa aut expressa, non magna quantitate obtinetur. Advehitur pessime inquinata & summe diversicolor; optima (Scammonium de Aleppo) illa est, quæ grisea, levis, nitida, splendida, friabilis, madefacta lactescit. Odor ingratus, sapor nauseosus, acris, urens.

Scammonium in subtilissimum pulverem redactum, qui dum in usum vocatur cum amygdalis dulcibus subigi debet, Diagrydium præparatum in officinis vocatur.

Ingreditur extractum catholicum, pilulas purgantes drasticas.

Vires purgantes, drasticæ, anthelminticæ, suspectæ, uti omnium drasticorum. Superfluum ob resinam jalapæ remedium.

Dosis a granis tribus ad decem. Per se raro præscribitur, sed aliis purgantibus ad vim acuendam additur.

Scordium *Offic.*

Lachenknoblauch.

Teucrium scordium Botan: Teucrium foliis oblongis sessilibus dentatis nudiusculis, floribus axillaribus, pedunculatis geminis, caule diffuso pubescente Schreb. Planta perennis in plurimis uliginosis Europæ locis crescens.

Pars usualis. *Herba*, mense Junio & Julio colligenda, foliis oblongis, dentato serratis, subhirsutis, sessilibus, profunde viridibus, odoris suballiacei, subaromatici, saporis amari, alliacei, subacris. Longiori mora odorem perdit & saporem ingratiorem nanciscitur.

Ingreditur species resolventes, balsamum Schauerianum.

Vires leniter stimulantes, resolventes externe antisepticæ multum laudatæ, in gangræna, ulceribus sordidis.

Dosis uncia semis vel una in aqua aut vino infundenda.

Monogr. R. J. Camerarius de scordio. Tub. 1706.
J. A. Wedel de scordio. Jen. 1726.

J. H. Slevogt de scordio. Jen. 1716.
Kleinknecht de scordio. Ulm. 1720.

Scorzonera *Offic.*

Scorzonere.

Scorzonera hispanica Botan: Scorzonera caule ramoso, foliis amplexicaulibus integris serrulatis Lin. Planta lactescens perennis, in Hispania sponte crescens, apud nos in hortis multum culta.

Pars usualis. *Radix*, in secundo anno fodienda, longa, digitum crassa, carnosa, foris nigra, intus alba, saporis subdulcis. Siccata rufescit & sapore fere omni destituitur. Oleribus potius quam medicaminibus ad numeranda.

Vires nutrientes, resolventes.

Dosis uncia una & ultra pro libra aquæ in decocto.

Monogr. J. M. Fehr de anchora sacra vel Scorzonera. Jen. 1666.

Scrophularia *Offic.*

Braunwurzel.

Scrophularia nodosa Botan: Scrophularia foliis cordatis trinervatis, caule obtusangulo Lin. Planta perennis ad margines fossarum & rivulorum, aliisque locis udis in tota Germania frequens.

Partes usuales. *Radix*, primo vere colligenda, e tuberibus variæ magnitudinis composita, albicans, odoris ingrati, saporis subacris, amari. *Folia*, florescente planta colligenda, odoris saporisque nauseosi; frequentius e scrophularia aquatica desumuntur.

Vires leniter resolventes. Ad corrigendum fastidiosum saporem & odorem foliorum sennæ laudatæ. Ingrediuntur propterea folia aquam laxativam.

Monogr. J.H. Slevogt de Scrophutaria. Jen. 1720.

Secalis farina.

Ad parandum fermentum panis pro epispasticis & sinapismis.

Sedum majus, sempervivum *Offic.*

Grofse Hauswurzel.

Sempervivum tectorum Botan: Sempervivum foliis ciliatis, propaginibus patentibus Lin. Planta perennis in tectis, muris & rupibus crescens.

Pars usualis. *Herba* recens, rosam plenam fingens, foliis ovato acuminatis, ciliatis, crassis, concavis, læte viridibus, in apice rubellis, succosis, succum continentibus acidulum austerum, a spiritu vini & liquore alcalino in mafsam albam mucilaginosam congelandum.

Vires refrigerantes abstergentes. Succus ad aphthas oris & ulcera adplicatur. Folia recentia & subcontusa, atque aceto macerata clavis pedum imponuntur.

Senna *Offic.*

Sennesblätter.

Cafsia senna Botan: Cafsia foliis sejugis subovatis, petiolis eglandulatis Lin. Planta annua in Aegypto habitans.

Pars usualis. *Folia*, subovata, acuminata, pollicem longa & quartam pollicis partem lata, in medio nervosa, tactu molliuscula, coloris ex luteo viridis, odoris peculiaris nauseosi, saporis amaricantis, subacris, subviscidi, ingrati. Plus gummosarum partium illis inhæret, quam resinosarum. Optima sunt, quæ ex Alexandria adferuntur; quæ ex regno Tripolitano, Arabia & Italia advehuntur, viliora sunt; majora, latiora, minus acuminata, lætius viridia, dulciora, multumque inquinata variis heterogeneis foliolis. Legumina vulgo folliculi sennæ sunt capsulæ sive siliquæ seminales, semilunares, compressæ, continentes semina quatuor vel sex nigricantia. Odore carent, sapore salso amaricante gaudent. Inepte a quibusdam præferuntur foliis. Ab Arabibus loco foliorum in usum trahebantur.

Præparatum. *Syrupus foliorum sennæ*, ab ingredientibus rosarum floribus, male Rosarum solutivus dictus.

Ingreditur etiam alia composita medicamina, quorum principes fere vires constituit; electuarium lenitivum, infusum laxativum.

Vires purgantes, cum irritamento, sæpe cum torminibus. Ad heterogenea primarum viarum eliminanda, absente nota inflammatoria, usitatissimæ. Eorum usum vero pertinax utplurimum alvi obstructio sequitur. Subjectis nimis irritabilibus vix conducunt.

Dosis in pulvere a drachma semis ad unam; in infuso ac drachmis duabus ad unciam semis. Stipites foliorum male pro causa torminum agno-

scuntur, in coctione potius protractiori resinosam partem extrahente, & colaturæ expressione quærenda. Nauseosum saporem scrophulariam emendare diximus.

Monogr. Ant. Mizaldi opuscul. de senna, planta inter omnes, quotquot sunt, hominibus beneficientissima.

J. C. Senner de Senna. Alt. 1733.

Serpentaria virginica *Offic.*

Virginische Schlangenwurzel.

Aristolochia serpentaria Botan: Aristolochia foliis cordato oblongis planis, caulibus infirmis flexuosis teretibus, floribus solitariis Lin. Planta perennis in America septentrionali, imprimis in Virginia habitans.

Pars usualis. *Radix*, quæ formatur ex trunculo, sæpe particulis herbæ adhuc instructo, nodoso, præmorso, extus bruneo viridi, intus pallido, cum fibrillis copiosissimis invicem complicatis, ex eodem prorumpentibus. Odor aromaticus, Valerianæ quodammodo similis, camphoracens; sapor amaricans, pungens, aromaticus.

Præparatum. *Tinctura serpentariæ virginianæ* ex radice in sexduplo spiritus vini digesta.

Ingreditur etiam electuarium anodynum & syrupum contrajervæ.

Vires valdopere stimulantes, permanentius camphora agentes, excitantes, sudoriferæ, jam 1635 contra morsum serpentum memoratæ. In febribus

nervosis & malignis cum virium prostratione, in angina nervosa aliisque septicis inflammationibus, magnus hujus radicis & eximius usus est.

Dosis in pulvere a granis decem ad triginta; in infuso a drachmis duabus ad unciam semis pro sex unciis vehiculi aquosi aut vinosi. Tinctura ad drachmam unam & ultra, in mixtura aut decocto.

Monogr. G. W. Wedel de serpentaria virginiana. Jen. 1710.
Chr. Lud. Göckelii Diss. de serpent. virgin.

Serpyllum *Offic.*

Quendel.

Thymus serpyllum Botan. Thymus floribus capitatis, caulibus repentibus, foliis planis obtusis basi ciliatis Lin. Planta subfruticosa in locis nostris campestribus siccioribus frequenter obvia.

Pars usualis. *Herba* foliis ovatis, planis, glabris, basi ciliatis, ferme sessilibus, parvis, viridibus, odoris balsamici grati, fere citrini, saporis aromatici, subamari.

Præparatum. *Oleum destillatum Serpylli*, rubicundum, fragrans, blandius quam thymi, parca quantitate obtinendum. Spiritus Serpylli ex herba sicca cum spiritu vini digesta, addito pauxillo aquæ lavandulæ.

Ingreditur aquam vulnerariam utramque, pulverem sternutatorium, species resolventes.

Vires interne & externe stimulantes, resol-

ventes. Herba ad fomenta resolventia, spiritus in contusionibus & paralysi externe adhibetur.

Dosis uncia semis herbæ pro infuso.

Siliqua dulcis *Offic.*

Bockshörnlein.

Ceratonia siliqua Botan. Arbor in regionibus calidioribus, præcipue in Palæstina, Syria, in Archipelago, Sicilia & Hispania adeo crebro occurrens, ut fructibus pecora nutriantur.

Pars usualis. *Fructus*, siliqua magna, longa, compressa, plus minus incurva, extus nitida ex rubro brunea, intus mollis, carne grate dulci & seminibus ovatis, planis, durissimis instructa.

Ingreditur syrupum diacodii.

Vires nutrientes, mucilaginosæ, pectorales. Adhiberi solent in decoctis pectoralibus & ordinariis, pro potu infantum.

Simaruba *Offic.*

Simaruba.

Quassia Simaruba Botan. Quassia floribus monoicis, foliis abrupte pinnatis, foliolis alternis subpetiolatis, petiolo nudo, floribus paniculatis Lin. Arbor Americana, in locis arenosis Cajennæ, Guianæ, in Carolina, & in insulis Sandominicana & Jamaica crescens.

Pars usualis. *Cortex* radicis, seminudæ in superficie soli ample se extendentis siccatus in longis frustis ad nos translatus, aliquot pollices la-

tis & lineam crassis, convolutis, compagis fibrosæ & laxæ; levis, tenax, flexilis, extus varie tuberculosus, subbruneus, pallidiori epidermide indutus, intus glaber, coloris dilutioris, odoris nullius, saporis intense amari, sine adstrictionis sensu. Constat principio mucilaginoso, amaro, resinoso. Anno 1713 ex America ad nos translatus fuit.

Vires roborantes, leviter adstringentes, in dysenteria & diarrhæa absentibus saburra & inflammatione laudatæ omnium primo a Jussieno, confirmatæ Tissoti, Degneri aliorumque tentamine.

Dosis in pulvere ad scrupulum unum; in decocto aquoso (quæ optima forma est) ab uncia semis ad unam pro colatura libræ unius, cochleatim exhibendo. Decoctum hocce aquosum, dum calet turbidum & subflavum est, refrigeratum rubicundo bruneum & pellucidum fit. Barbari eo utuntur in febribus & diarrhæis curandis, unde cognitionem habuerunt Europæi.

Monogr. De Jussieu an in fluxibus alvi inveter. Simarouba? Par. 1730. 1772.

J. Fr. Crell de cortice Simarouba? Helmst. 1736.

De Overkamp de remed. specif in specie de Simarouba. Wirceb. 1742.

J. H. Kniphof cort peruv. succedaneorum quorund. examen. Erf. 1747.

Sinapi *Offic.*

Schwarzer Senf.

Sinapis nigra Botan. Sinapis siliquis glabris racemo adpressis Lin. Planta annua in agris spontanea.

Pars usualis. *Semina* exigua, rotunda, nigrescentia, saporis subamari acris, odoris in pulverem redacta nares ferientis.

Vires interne antiscorbuticæ, externe irritantes, rubefacientes, inflammantes. Farina scilicet sinapis ad uncias duas & ultra cum fermento panis forma cataplasmatis sive Sinapismi, vel ad morbos & inflammationes locales producendas scopo, ut ajunt, derivante, vel ad partes topica debilitate adfectas irritandas, vel in universali debilitate & languore ad irritandum & excitandum suris aut femoribus, aptius quam callosis pedum plantis adplicatur. Citius hi Sinapismi agunt & eodem fere modo iiritant, ac ipsa vesicantia, nec tamen stranguriam causant. Exaltantur hæ irritantes vires armoracia in scobem rasa addita. Sed mala praxis est, irritantia eousque exaltare & continuare, ut vesicas adtrahant, ulcera sæpe mali moris relinquentes. Unciæ quatuor seminum Sinapis contusorum etiam pro balneo irritante adhibentur. Internus nullus usus, nisi ad mustardam parandam.

Monogr. Cl. Bourdier de l'Amouliere an salubre condiment. Sinapi? Par. 1743.
I. Kopp de Sinapi optima C. H. medicina. Duisb. 1775.
Storr de semine Sinapi. Tub. 1780.

Soda Hispanica.

Soda, mineralisches Laugensalz.

Carbonas Sodæ Chem. Soda aerata, sive sal alcalinus fixus mineralis acido carbonico imbutus. Soda tum nativa deprehenditur ad telluris superfi-

ciem in Aegypto, Persia, India orientali, & liberalius in Hungaria (Natrum), nec non e muris efflorescens, atque in aquis soteriis contentum; tum etiam arte obtinetur ex sale communi, atque ex cineribus plantarum quarumdam maritimarum, sub salsolæ potissimum genere militantium. Talis ex Hispania adfertur, multum impura & cinerei coloris.

Depurata ab omni inquinamento adhærente crystallos exhibet vitreas, longe rhomboidales vel columnares, saporis urinosi, alcalini, in aëre minime liquescentes, sed colorem album induentes, atque in pulverem farinosum fatiscentes. In dupla quantitate aquæ penitus solvitur.

Præparata. Supersaturando sodæ drachmas duas in libra aquæ destillatæ solutas acido carbonico, ex solutione cretæ evoluto, obtinetur aqua mephitica alcalina, liquor carbonatis lixivæ aciduli. Soda pura e contra seu caustica est alcali minerale purum, acido carbonico ope calcis vivæ privatum. Soda phosphorata sive phosphas sodæ, sal perlatus etiam dicta, est sal neuter ex acido phosphorico & aciali minerali, cujus præparationem dispensatorium fuse describit. Sapor ab illo communis salis non multum alienus. In triplo aquæ solvitur.

Vires & dosis. *Soda* per se tum interne, tum externe vix exhibetur, etiamsi possideat vires salis alcalini fixi in genere, quas descriptas videre licet in capitulo de sale alcalino fixo vegetabili, cujus communior usus. Attamen ad præparata pharmaceutica multum adhibetur, præcipuæ ad salem seignetti.

Aqua mephitica alcalina vices fere aquæ selteranæ suplet, vires possidet acidum absorbentes, quæ in calculo renum & vesicæ, decompositionis producendæ causa laudantur. Neque solventes & deobstruentes hujus remedii vires contemnendæ. Dosis ad plures uncias omni matutino tempore, vel per se, vel cum lacte aut sero lactis.

Soda pura prouti lapis causticus agit.

Soda phospharata viribus resolventibus gaudet, & in maxima dosi purgantibus. Longe enim mitius agit, quam plerique alii sales neutri, nam ad drachmas sex exhibitum vix alvum sensibiliter promovet; atque proinde irritabilibus subjectis summe commendari meretur; quin & antispasticæ, ut volunt nonnulli, vires ei adscribendæ essent.

Monogr. J. Fr. Cartheuser de sale sodæ. Fr. 1756.
A. E. Buchner de soda Hispanica. Hal. 1758.
Ph. J. Imlin se soda. Arg. 1760.
F. de Jean histor. Sodæ Hispanicæ. L. B. 1773.
V. C. E. Meier Diss. de varia sodæ indole. Erf. 1790.
W. Falconer von der Wirksamk. des luftsaur. alkal. Wassers in Steinkrankh. Leipz. 1794.

Spatum ponderosum.

Schwerspath.

Sulfas Barytæ Chem. Terra ponderosa vitriolata; lapis scilicet solidus, admodum ponderosus, ponderi metallorum accedens, constans ex terra ponderosa & acido vitriolico. Figura ejus communiter irregularis, compages foliata, fibrosa, mox pellucida, semipellucida, mox & opaca. Color varius, albus, lacteus, cinereus, flavescens, rubescens.

Diffractus splendet, ex calybe ignem non elicit; in igne crepitat & dissilit, tandem in pulverem fatiscit. Sæpe arsenico, ferro aut plumbo inquinatus; ergo semper ad usum medicum depuratione indiget. Comparatur ex Hercyniæ & Saxoniæ fodinis.

Præparatum. *Terra ponderosa salita*, murias barytæ, sal neuter ex acido salis & terra ponderosa. Mixtione scilicet alcali vegetabilis cum tertia spati ponderosi parte, fluxione in crucibulo atque elixatione arcani duplicati nunc exorti terra ponderosa pura obtinetur, cui acidum muriaticum ad saturationem adfunditur, atque solutio evaporatur & crystallisatur. Sal hicce neuter crystallos format tesselatas, squamosas, albissimas, in aëre invariabiles, saporis acris, subamari, nauseosi in triplo aquæ frigidæ solubiles, minime in alcohole vini. A. Crawfordio omnium primo pro usu medico commendatus.

Vires terræ ponderosæ salitæ in majori dosi sunt venenatæ, anxietates cum vertigine, nauseam vomitum, aut tormina cum diarrhæa producentes. In minori atque cauta dosi vires observantur anthelminticæ, egregie resolventes & penetrantes cum omnium fere secretionum promotione, in morbis præcipuæ lymphaticis & glandularum, atque in omnibus subalternis huic causæ morbificæ malis summe efficaces & proficuæ. Præcipue in morbo scrophuloso, etiam sub varia quacunque larva comparente, ab Hufelando recentibusque plurimis medicis merito laudantur; viribusque antimonii, mercurii, atque salis ammoniaci &c. ob tonicam virtutem

junctam, & nullam ex diuturno usu incomoditatem exoriundam, præferendæ censentur.

Dosis & modus exhibendi sequens est. Solvitur dimidia drachma hujus salis in uncia aquæ destillatæ, atque hujus solutionis decem, usque triginta guttæ bis, aut serius ter in die adultis exhibentur. In pulvere aut pilulari forma duo ab initio, atque adscendendo plura grana propinari possunt. Ast dosis absoluta adsignari non potest, nam pro variis circumstantiis, ac præcipuæ pro varia individui irritabilitate multum diversa esse debet.

Hujus salis solutio quamoptime etiam in explorationibus corporum pharmaceuticis ut Reagens ad examinandam quorundam præparatorum probitatem, scilicet ad detegendum acidum vitriolicum inservit, cujus minima quantitas spati ponderosi regenerati forma præcipitatur.

Monogr. J. S. Goerling de terra ponderosa salita. Erf. 1792.
J. A. Schmidt de baryte muriatico. Lips. 1793.
J. F. Petermann Diss. de terra ponderosa salita ejusque usu medico. Jen. 1793.
C. W. Hufeland Darstellung der medic. Kräfte und des Gebrauchs der salzsauren Schwererde. Berl. 1794.
G. Stiustra. Diss. de Muriatis Barytæ usu. Gron. 1797.

Spina cervina *Offic.*

Kreuzbeere.

Rhamnus catharticus Botan. Rhamnus spinis terminalibus, floribus quadrifidis dioicis, foliis ovatis Lin. Frutex altior, in sylvis nostris frequens.

Pars usualis. *Baccæ* rotundæ, pisi magnitudine, nitentes, puncto elevato in apice notatæ, nigræ cum pulpa succosa profunde viridi, seminibus quatuor crassis ovatis instructæ, odoris ingrati, saporis nauseosi amaricantis, subacris. Colliguntur mense Septembri.

Præparata. *Roob de spina cervina* ex succo inspissato cum pauxillo sacchari. Syrupus de spina cervina ex succo cum duplo sacchari, qui electuarium purgans ingreditur.

Vires purgantes, diureticæ, in hydrope quondam multum laudatæ & usitatæ. Succus etiam ob viridem colorem pictoribus inservit (Saftgrün).

Dosis. Roob aut syrupus ab uncia semis ad duas, præcipue in electuario cum aliis.

Monogr. J. G. Kolb Diss. de cortice Rhamni cathartici. Erl. 1794.

Spiritus Nitri acidus vide Nitrum.

Spiritus salis acidus vide sal communis.

Spiritus Vitrioli acidus vide Vitrioli oleum.

Spiritus Vini vide Vinum.

Spongia *Offic.*

Badschwamm.

Spongia officinalis Lin. Habitaculum vermium ex genere coralliorum, prostans in frustis varie magnis, difformibus, communiter latere uno convexis, altero planis, flexilibus, tenacibus, tomen-

tosis, bibulis, dense foraminulatis, lapillis nonnullis quandoque intermixtis, coloris flavicantis, odore & sapore carentibus. Ad nos e mari mediteraneo & rubro adportantur, ubi copiose ad rupes inveniuntur.

Vires humidum absorbentes; atque dum spongia humectata multum intumescit, hinc obturando & dilatando agit. Propterea vulnerum ulcerumque orificiis dilatandis, atque ad sistendum sanguinem ex vulnere profluentem inservit, atque ipso agarico efficarior est. Denique pro ablutione partium a chirurgis etiam crebro adhibetur.

Pulvis strumalis sive spongia usta est carbo spongiæ marinæ combustæ in pulverem redactus. Vires adscribuntur resolventes, in struma & scrophulis utiles. A scrupulo uno ad drachmam unam bis aut ter de die, cum saccharo aut aliis interne exhibetur.

Monogr. S. Zeller pract. Bemerk. über den Nutzen des Badschwamms &c. Wien 1797.

Squilla *Offic.*

Meerzwiebel.

Scilla maritima Botan. Scilla nudiflora, bracteis refractis Lin. Planta perennis in locis arenosis maritimis Lusitaniæ, Hispaniæ, Siciliæ, Galliæ, Syriæ & Africæ septentrionalis spontanea.

Pars usualis. *Radix*, plurimum ex Hispania nobis advecta, bulbus scilicet, pugni magnitudinis, ponderis libræ unius & ultra, pyriformis, ex squamis crassis, carnosis, nervosis consistens, aliis-

que exsuccis membranaceis tunicatus, in basi fibris numerosis instructus, pro usu pharmaceutico unacum squamulis effœtis præscindendis. Radix recens tota scatet albo & viscido succo, adeo acri, ut manibus pruritum excitet, saporis acris, amari, nauseosi, odoris fere nullius.

Optimum est, si pharmacopolæ integros & recentes bulbos sibi procurant, & ipsimet siccatione ad usus medicos præparant; quæ scilla siccata vocatur. In pulverem difficulter redigitur. Testante Plinio a Melampo inventa. Ab Hippocrate Dioscoride, Galeno jam vino & aceto infusa.

Præparata. *Acetum scilliticum* ex radice recenti in sexduplo aceti optimi (quod optimum scillæ menstruum est) macerata. Extractum scillæ ex decocto vinoso radicis siccatæ inspissato, intense amarum & acre.

Oximel & Oxisaccharum scilliticum ex aceto scillæ cum duplo mellis aut sacchari coctione paratum. Ingreditur electuarium contra vermes.

Vires stimulantes, potius irritantes, potenter resolventes & incidentes, subemeticæ, alterantes, in majori dosi emeticæ, secretiones omnes promoventes, specialius autem diureticæ; etiam anthelminticæ. Magnus propterea usus in hydrope frigido, in morbis glandulosis & lymphaticis, in viscerum obstructionibus non inflammatoriis, in pituitosa thoracis & abdominis inertia &c.

Dosis in pulvere aut extracto a grano uno ad tria, cum saccharo aut aliis coindicatis remediis. Drachma una vel duæ radicis in infuso frigido vi-

noso, quæ optima forma est. Acetum a drahma una ad duas pro dosi. Oximel ad cochleare coffeanum unum vel alterum, ad unciam semis & integram in mixturis. Universim autem dosis non facile determinanda, ob diversitatem casuum & individuorum. Adtendendum semper solummodo est, ne nauseam aut vomitum hoc remedium causet; nisi necesse foret.

Monogr. Werlhofii observ. de admirandis scillæ virtutibus.
G. L. Corvinus de scilla. Alt. 1715.
M. Alberti de squilla. Hal. 1722.
J. H. Schulze de asmatico usu scillæ sublevato. Hal. 1735.
— — — — examen chemicum radicis squillæ. Hal. 1739.
J. G. Wagner obs. de scilla. Lub. 1737.
H. T. G. Thienen de squillæ rad. virtutibus. Duisburg 1740.
J. Brickender Diss. de rad. scillæ. Edinb. 1759
Ph. H. Caspari de scilla. Gott. 1785.

Stramonium. *Offic.*

Tolläpfel.

Datura stramonium Botan. Datura pericarpiis spinosis erectis ovatis, foliis ovatis glabris Lin. Planta annua ad sepes, vias & in fimetis spontanea, omnibus partibus venenata.

Pars usualis. *Folia* magna, ovata, acuminata, angulosa, dentato sinuata, petiolata, venosa, saturate viridia, odoris virosi, saporis summe ingrati & nauseosi.

Præparatum. *Extractum Stramonii* ex succo foliorum inspissato, valde nauseosum.

Vires in majori dosi venenatæ, narcoticæ; saporem cum insomniis & delirio confabulante, tremores, convulsiones, pupillæ dilatationem & hydrophocicas fere adfectiones inducentes, ab 8 ad 24 horas perdurantes; in moderatissima tamen dosi antispasmodicæ, in mania & epilepsia utiles deprehensæ. Etiam externe folia recentia subcontusa mammis induratis scopo resolvente adplicantur, atque lac retropellere dicuntur. Usus hujus plantæ internus omnium primo 1760 a L. B. de Störk tentatus.

Dosis. Extractum ad granum semis de die ab initio propinatur, caute sensimque adscendendo ad grana duo & ultra. Forma in pulvere cum saccharo, aut pilularis.

Monogr. Ant. L. B. a Störk libellus de stramonio. Vien. 1762.

J. Sidren. de Stramonii usu in morbis convulsivis. Usp. 1772 r. Wedenberg.

S. Cooper Dissert. on the properties and effects of the Dat. Stramon. Philad. 1797.

Styrax calamita *Offic.*

[Storax.

Styrax officinalis Botan. Styrax foliis ovatis subtus villosis, racemis simplicibus folio brevioribus Willden. Arbor in Italia & Galloprovincia, inprimis autem in Aethiopia, Palæstina, Arabia & quibusdam insulis Archipelagi crescens. Incisione succum gummiresinosum parca quantitate largitur,

in guttas vel grana coeuntem quæ vero ad nos, vix, aut raro perveniunt. Calamita vocabatur, quia in cannis vel calamis olim advehebatur.

Styrax officinarum vulgaris videtur potius aut artefactum esse, aut residuum, ut alii putant, ab excoctione & expressione balsami peruviani. Adfertur ex Turcia in massis seu glebis multarum librarum pondere, badio rufis, Turfæ speciem habentibus, levibus, digito facile conterendis, compressione in pastam compingendis, constans ex partibus gummiresinosis, ex scobe lignea, sabulo, aliisque quisquiliis. Odor ejus, præcipue dum ardet, fragrans, gratus, sapor aliquantis per amarus.

Vires interne stimulantes, incidentes, externe vulnerariæ, balsamicæ. Usus præcipuus externus adsuffimigia discutientia.

Ingreditur spiritum balsamicum & tincturam balsamicam.

Pillulæ de Styrace ex anaticis succi liquiritiæ & Styracis, dimidia opii & quarta olibani atque croci partibus compositæ, cum syrupo diacodii in pilulas conficiendæ, vires suas utplurimum opio debent, narcoticas quodamodo, tussim molestam, in qua vulgo adhibentur, mitigantes; ceterum stimulantes. In granis octo, opii granum unum continentur, propterea facile ad grana sex & ultra exhibendæ; præcipue vesperi, ad præcavenda nocturna phthisicorum incommoda.

Monogr. J. J. Kirsten de Styrace. Alt. 1736.

Styrax liquida *Offic.*

Flüſsiger Storax.

Liquidambar styraciflua Botan. Liquidambar foliis palmato angulatis Lin. Arbor in Virginia, Carolina & Regno Mexicano spontanea, quæ largitur substantiam resinosam, fusco griseam & tenacem, melleæ consistentiæ, odoris grati ad Benzoën & Ambram accedentis, saporis aromatici subacris, Ambra liquida dictam, Storax liquida officinarum. Alia species sub unguenti fere consistentia, diverso colore & variis impuritatibus occurrit, atque artificialis potius compositio videtur.

Vires leniter irritantes, balsamicæ, vulnerariæ.

Præparatum. *Unguentum de Styrace* minimam fere partem styracis poſsidens, nam anaticæ partes colophoniæ atque elemi, cum oleo amygdalarum & cera intrant. Ob vim stimulantem, antisepticam pro deligatione ulcerum gangrænosorum adhibetur.

Ingreditur etiam emplastrum diabotanon.

Succinum, Bernſtein.

Bitumen solidum, fragile, leve, nitens, pellucidum, polituram admittens, frictum corpora leviora adtrahens, coloris lætius profundiusve flavi, igni impositum cum grato odore fumans. E terra quandoque effoditur, præcipue tamen ad littora maris Balthici copioſisſime reperitur. Nec aqua, nec spiritu vini perfecte solvitur. Parum tamen ab in-

dole resinæ abludit, cum oleis unguinosis connubium init, in balsamis & oleo vitrioli solvitur. Similis succino mafsa factitia ex America sub nomine Gummilook venit, sale volatili carens.

Vires. Externe fumus ex succino prunis insperso adsurgens, princeps est materies suffimigiorum, tum scopo conclavium atmosphæram corrigente, tum stimulante, discutiente & anodyno, si pannis laneis excipitur, quibus partes ægrotantes (non vere inflammatæ) leniter fricantur. Interne viribus nervinis, antispasticis pollet, sed per se non adhibetur, præparatis solummodo ejus in usum trahendis.

Præparata. *Oleum succini* reiterata destillatione rectificatum, atque a liquore acido, qui simul prodit, crystallisatusque sub nomine salis succini (acidi succinici) adservatur, separandum. Quod vulgo venditur, sæpe petroleo inquinatum est.

Ingreditur balsamum saxonicum.

Oleum hocce externo potifsimum usui dicatur, tum hystericarum ac parturientium animi deliquium patientium naribus admovendum, ut nervos resuscitet, tum membris paralyticis & discutiendi scopo tumoribus frigidis illiniendum. Sunt tamen, qui idem & interne a guttis quinque ad quindecim in morbis convulsivis & spasmodicis commendant.

Sal succini acidus volatilis est irritans medicamentum, stimulans & antispasticum, sudores atque urinas promovens. Potifsimum vero ad præparandum liquorem cornu cervi succinatum adhibetur, qui externe reficiente scopo, interne scopo antispastico, excitante & exanthema-

ta pellente a guttis viginti ad quadraginta propinatur.

Tinctura succini ex succino cum sale tartari in spiritu vini digesto exoritur, non magnarum virium, ad guttas triginta & ultra facile exhibenda.

Moschus artificialis est mafsa resinosa ex oleo succini rectificato cum quadruplo spiritus nitri fumantis commixto producta & probe abluta adservata, coloris flavi & odoris moschati. Vires pofsidet moscho naturali parumper analogas, sed multo minori gradu efficaces. Hinc in iisdem morbis, sed in majori dosi, facile ad grana sex aliquoties in die exhibetur

Monogr. S. Göbel de Succino. Reg. 1582
B. Zöllner de Succino. Lyps. 1604.
Ficcius de Succino. Reg. 1636.
A. Conci de Succino. 1660.
J. Thilo de Succino Borufsorum. Lips. 1663.
G. Thilo de Succino. Vit. 1668.
S. Schelgwig, de Succino. Thorun. 1671.
J. Th. Schenk de Succino. Jen. 1671.
Th. Kemper de Succino. Jen. 1682.
G. Eurelius Electron. Lips. 1687.
Ph. J. Hartmann Succinata Succini Prufsici historia Lond. 1699.
J. Vesti de Succino, physice & medice considerato. Erf. 1702.
M. Ph. Hartmann de summa Succini in medic. effi. cacia. L. B. 1710.
H. von Sanden de Succino, Electricorum principe Reg. 1711.
J. H. Schulze Difs. de Succino. Hal. 1734.
P. L. Anchar de Succino. Hafn. 1737.

C. H. Rappolt Episc. de origine Succini. Reg. 1732.
M. Alberti de Succini solutione. Hal. 1739.
— — — — de Succino. Hal. 17 o.
Nath. Sendel Historia Succinorum. Lips. 1742.
— — — — Electrologia.
J. G. Stockar von Neufarn de Succino &c. Leyd. 17 o.
J. G. Leonhardi Progr. de Salibus Succineis. Lips. 1775.
F. X. Hoffmann Diss. de Succino. Heidib. 1794.
Ol. Borrichius, Wigandus, Paulus, Neumannus de eod. argum.

Sulphur, Schwefel.

Substantia dura, fragilis, flavescens, inflammabilis, in flammam cæruleam exardescens, eructansque tunc vaporem acidum suffocantem, colores plurimos vegetabiles & animales destruentem, vase clauso autem liquefacta sub forma vaporum adscendens, qui frigefacti integrum & immutatum sulphur sistunt. Odoris ingrati est & saporis proprii, in aere invariabilis, cum plurimis metallis, igne adjuvante, coit; aquæ & spiritus vini, plurimorumque acidorum connubium respuit; faciliu in oleis, præcipue unguinosis & salibus lixiviosis dissolvitur, saponisque fere speciem constituit, quæ tum aquam tum spiritum vini subit, atque acido adfuso gas hepaticum dictum, fœtidissimum ovi putridi adinstar, & inflamabile emittit.

Sulphuri non raro vitium inest ab inmixtis materiis peregrinis, metallicis, præcipue ferro & arsenico. Deprehenditur tum nativum, virgineum dictum, in montibus præsertim ignivomis atque in thermis, tum etiam arte elicitur ex terris

eo fætis, ex pyritibus & variorum metallorum mineris sulphure gravidis.

Præparata. *Flores sulphuris* seu sulphur depuratum, sublimatione igne moderato obtinentur, & lotione ab adhærente acido purgati siccatique adservantur. Sunt pulverulenti, subgilvi coloris, tenerrimi, ad tactum læves & lubrici. Ingrediuntur pulverem contra tussim.

Hepar sulphuris (sulphuretum lixivæ) ex sulphure cum triplo alcali vegetabilis fuso, frigefactum in vitro clauso servandum, quoniam humiditates ex aëre adtrahit. Color hepaticus, odor ovorum putridorum.

Unguentum ad scabiem ex floribus sulphuris cum unguento lithargyri.

Vires sulphuris interne sunt stimulantes, surodiferæ, majori dosi alvum laxantes, anthelminticæ. Ad tussim & asthma chronicum jam a Galeni temporibus, atque ad hæmmorrhoidum cæcarum dolores ex alvo dura a multis commendantur. Externe in scabie ad animalcula cutanea necanda, atque forma balnei in doloribus chronicis arthriticis & rheumaticis, nec non in paralysi, atque in morbis variis e debilitate exoriundis.

Dosis. Flores in pulvere a granis quinque ad viginti & ultra. Hepar sulphuris externe ad thermas artificiales, interne ad salivationem a mercurio ortam minuendam; atque post arsenicum deglutitum vomitu non sufficienter expulsum laudatur; a granis quinque ad decem, omni secunda fere hora, superbibendo potum acidulum exhibetur. Inservit quoque parando liquori probatorio

Hannemanni ad detegendum plumbum & arsenicum in variis liquidis.

Monogr. Stahlii anatomia Sulphuris commun.
G. Rollfinck Diss. de Sulphure, Jen. 1679.
J. H. Slevogt de Sulphure Goslariensi, Jen. 1719.
Fr. A. Walther Progr. de Sulphure & Marte. Lips. 1743.
J. H. Fürstenau de Sulphure & medicam. sulphureis. Rint. 1745.
G. Chr. Detharding de Sulphure præstantiss. Bezoardico. Rost. 1746.
G. D. Hamberger de Sulphure. Jen. 1748.
J. F. Schopp de Sulphure & remediis ex eo variis. Gryph. 1762.
H. W. S. Buchholtz de Sulphure minerali. Jen 1763.
Fr. Nic. Sedey de Sulphure. Vindob. 1765.
J. B. Reisig de Sulphuris crudi usu interno. Lips. 1768.
Ch. Fr. Elsner num Sulphur interne adhib. jure medicam. habeatur iners? Reg. 1774. r. Lepper.
Fr. J. G. Schrader pinguium, Sulphuris & mercurial. usu in medic. Marb. 1775.
H. M. Missa, in variis chronicis variæ hepatis sulphurei species. Par. 1778.
J. F. Wunsch Diss. de Sulphure ejusque vi medica. Erl. 1798.

Tabacum vide Nicotiana.

Tamarindus *Offic.*

Tamarinden.

Tamarindus indica Botan. Arbor in India, Arabia, Aegypto & America calidiori habitans.

Pars usualis. *Fructus* ad nos adlati in pul-

tem tusi, exuti tegminibus externis sive corticibus leguminosis, seminibus vero, atque eorum filamentis adhuc præditi, sistentes substantiam pulposam, mucilaginosam, tenacem, filis solidis ac seminibus subrotundis, compressis, duris, nitidis permixtam, coloris e fusco nigricantis, odoris vinosi, saporis grate acidi, qui acor dependet a sale essentiali fructus, acido tartari in omnibus simili. Indici Americanis multo præstantiores, utpote mollioribus & dulcioribus a saccharo admixto. Occurrunt quoque inquinati syrupo communi, aut aceto, aut & cupreis particulis, quoniam pulpa in vasis cupreis conficitur.

Fru tus Tamarindorum in aqua fervida moderata ebullitione soluti, solutione filtrata & sub tertiæ partis sacchari additione inspissata, pulpam Tamarindorum depuratam officinarum nostrarum sistit.

Vires refrigerantes, eccoproticæ, in febribus sthenicis, collecta præcipue in primis viis colluvie biliosa, egregiæ. Arabibus jam usitatæ.

Dosis fructuum enucleatorum ab uncia una ad duas pro libra decocti. Pulpæ uncia semis vel una pro dosi. Serum lactis tamarindinatum egregium antisthenicum potum, refrigerantem & eccoproticum sistit.

Tanacetum *Offic.*

Wurmkraut.

Tanacetum vulgare Botan. Tanacetum foliis bipinnatis incisis serratis Lin. Planta perennis ad

agros, muros, fossas, in locis incultis indigena.

Partes usuales. *Herba*, mense Junio & Julio colligenda, foliis bipinnatis, foliolis oblongis, incisis, serratis, læte viridibus, odoris fortis balsamici, subcamphoracei, saporis amari, aromatici. *Flores* corollis compositis, semiglobosis, convexis, solidis, cum flosculis subulosis margine quinquefido reflexo, coloris lutei, saporis amari.

Præparata. *Aqua herbæ Tanaceti destillata & oleum Tanaceti* destillatum, quod ingreditur unguentum de arthanita. Extractum Tanaceti ex decocto herbæ siccæ inspissato.

Vires roborantes, stomachicæ, anthelminthicæ in digestione vitiata a ventriculi laxitate, chlorosi & vermibus laudatæ. Externe roborantes, resolventes, fomentationis forma.

Dosis. Herba aut flores ad unciam semis in libra infusi. Extractum a scrupulo uno ad drachmam unam & plures de die. Aqua ad uncias duas, tres &c.

Taraxacum *Offic.*

Röhrlkraut.

Leontodon Taraxacum Botan. Leontodon calyce squamis inferne reflexis, foliis runcinatis denticulatis lævibus Lin. Planta perennis summe vulgaris in pratis, pascuis & ad vias.

Pars usualis. *Radix*, primo vere fodienda, longa, minorem digitum crassa, utplurimum

ramosa, fibrosa, foris obscura, intus alba, filo lignoso trajecto, saporis amaricantis. Dum recens, lactescit.

Præparatum. *Extractum Taraxaci liquidum* ex anaticarum radicis & herbæ partium decocto inspissato.

Vires leniter roborantes, resolventes, in obstructionibus viscerum abdominalium; hydrope, febribus intermittentibus eximiæ. Herba easdem cum radice proprietates possidet.

Dosis. Radix ab uncia una ad duas pro libra colaturæ per dimidiam horam coctæ. Eadem dosis pro enemate solvente. Extractum a drachma semis usque ad duas & ultra in die, forma pilulari aut liquida. Succus recenter pressus ab uncia una ad tres per se, aut cum aliis succis solventibus, aut cum sero lactis.

Monogr. H. Fr. Delius de Taraxaco, præsertim aquæ ejus per ferment. paratæ eximio usu. Erl. 1754.
D. Th. Barnwasser salubres Taraxaci vires. Regiom. 1756.
J. H. A. Niemeyer de Violæ caninæ? usu medico 1785.

Tartarus crudus.

Roher Weinstein.

Tartris acidulus lixivæ impurus Chem. Sal essentialis vini neuter, cui vero acidum peculiare ultra saturationem inest; sensim a vino secretus & dolia incrustans, partibus oleosis & aliis heterogeneis mixtus, saporis aciduli, in aqua difficulter

solubilis, & ex solutione terram insipidam deponens. E vinis rubris secernitur ruber, ex albis subgriseus, priori præferendus. Adportatur e locis vinorum divitibus.

Præparata. *Tartarus depuratus*, seu crystalli tartari (tartris acidulus lixivæ depuratus), est tartarus crudus solutione in aqua, colatione & albumine ovi a terra argillacea & calcarea depuratus, in crystallos redactus parvas, irregulares, impellucidas, solidas, albas, saporis acidi, vinosi. Est sal medius, in quo acidum tartari exsuperat; continet scilicet 67 partes acidi vinosi, & 33 salis alcalini vegetabilis. In pulverem subtilem redactus cremor tartari vocatur. In aqua difficulter solvitur, ita ut in uncia aquæ frigidæ solummodo grana tria, & in aqua fervida grana septem, post refrigerationem mox præcipitantia, solvantur. Ex Gallia magna quantitate & sufficienter purus advehitur; alias nitro, alumine, cupro, terra varia inquinatus. Etiam in Austria hodie paratur. Ingreditur electuarium lenitivum; aquam angelicam & laxativam, pulverem & electuarium dentifricium.

Idem sal in solutionem alcali vegetabilis successive ad saturationem injectus, donec effervescentia cesset, perfecte medius evadit, atque filtrata & evaporata hacce solutione aut in crystallos quadrilateras coacta sub nomine tartari tartarisati sive solubilis (tartris lixivæ) adservatur. Saporis est refrigerantis, subamari, leniter pungentis; in aëre libero humescit. Longe facilius in aqua solvitur, & vix non a duplo aquæ penitus recipitur.

Strictius loquendo autem tartarus solubilis ille compositus sal est, qui exoritur, si crystalli tartari ope salis alcalini volatilis perfecte saturantur. Hæ crystalli fiunt rhomboidales & in aëre persistentes.

Itidem cum alcali minerali saturatæ crystalli tartari salem Seignetti polychrestum constituunt, tartarisatam pro parte sodam. Exoritur, dum solutioni sodæ depuratæ cremor tartari ad saturationem injicitur; atque lixivium filtratum evaporatur & crystallisatur. Crystallos format magnas, quadrangulares, pellucidas, in aëre fatiscentes in pulverem, propterea vase optime clauso adservandas; in anatica aquæ portione fere solubiles.

Idem processus chemicus, cum admixtione quadrupli crystallorum tartari in solutionem boracis; compositissimum medium salem largitur, qui vocatur borax tartarisata sive cremor tartari solubilis. Hicce sal in crystallos non cogitur, in aëre diffluit. Anno 1732 Ulmæ a le Fevre inventus. Alii Bergium inventorem adsignant.

Principium quoque tartari utrumque, tum acidum, tum alcalinum, separatim usui medico inservit.

Acidum tartarosum, vulgo sal essentialis tartari obtinetur, dum crystallorum tartari solutioni creta pura ad saturationem usque admiscetur. Selenitis tartareus (tartris calcareus) sic exortus, adfuso oleo vitrioli diluto, liquorem acidum superficiei innatantem dimittit, qui decantatus, filtratus, evaporatus in crystallos coit, quæ siccatæ serventur. Sunt rhomboidales, utplurimum foliatæ

extremis acutis, albæ, nitidæ, siccæ, saporis gratissime acidi, acris, in aëre persistentes, in aqua facillime solubiles.

Sal tartari sive alcali vegetabile purum vide sal alcalinus vegetabilis.

Vires & dosis. *Cremor tartari* vires habet refrigerantes, temperantes, antisthenicas, leniter diureticas, in majori dosi eccoproticas, insignes præcipue in febribus inflammatoriis, in hydrope sthenico & hæmmorrhoide. Dosis a granis decem ad drachmam unam & ultra, optime in pulvere aut electuario, nam difficulter in aquoso vehiculo solvitur. Debilibus sæpe pondus in ventriculo creat. Externe ad dentifricia adhibetur, & in delendis maculis corneæ suam efficaciam habet.

Tartarus tartarisatus, sal Seignetti & borax tartarisata consimiles fere cum cremore tartari vires exserunt, attamen magis resolventes & purgantes, minusque diureticas. Dosis quoque eadem, & facilius in vehiculo aquoso exhiberi possunt, ac cremor tartari. Tartarus vero solubilis cum alcali volatili paratus, parumper magis irritat, ac proinde in minori dosi propinandus erit.

Sal essentialis tartari, utpote acidum vegetabile purissimum, eisdem, quibus acetum, viribus gaudet. Ejusdem drachma cum septem drachmis sacchari in libra aquæ solutis, gratissimum acidulum potum sistit, refrigerantem, antisthenicum, iisque commendandum, qui succo citri carent, acetum renuunt.

Vires & doses salis tartari vide sub sale alcalino vegetabili.

Monogr. Ang. Salæ Tartarologia.
G. Rolfinic. Diss. de Tartaro. Jen. 1679.
Th. a Zelst de Tartaro. L. B. 1701.
Fr. G. Haupt de sale Seignette, alias polychresto Rupellensi. Reg. 1740.
H. F. Teichmeyer de sale Seignette. Jen. 1742.
R. Worthington de natura & usu Tartari. Edinb. 1778.
M. a Paecken de sale essent. acido tartari. Goet. 1779.
J. R. Spielmann de Tartaro. Arg. 1780.
Zobelius de eod. argum.

Tartarus vitriolatus vide Arcanum duplicatum.

Tauri fel vide Fel taurinum.

Terebinthina vide Laryx & Pinus.

Terra foliata tartari vide Acetum.

Thymus *Offic.*

Thymian.

Thymus vulgaris Botan. Thymus erectus, foliis revolutis ovatis, floribus verticillato-spicatis Lin. Planta perennis subfrutescens, in Hispania, Gallia, Italia spontanea. Apud nos in hortis fovetur.

Pars usualis. *Herba* florida, mense Julio colligenda, foliis sessilibus, oppositis, ovato oblongis, minoribus, floribus rubellis, corolla & calyce bilabris. Tota planta penetrante, aromate

gaudet, sapore balsamico acri, oleo essentiali scatet, quod ob odoris gratiam multum quæritur.

Ingreditur species resolventes, aquam vulnerariam cum vino.

Vires stimulantes, serpyllo analogæ. Usus potius culinaris, quam medicus.

Tilia *Offic.*

Linde.

Tilia europæa Botan. Tilia floribus nectario destitutis Lin: Arbor procera longæva, in sylvis nostris tum sponte crescens, tum pro ambulacris culta.

Pars usualis. *Flores* mense Julio legendi, arboribus inhærentes, foliolis propriis albis subsiccis provisi, perianthio quinquepartito, filamentis plurimis, germine subrotundo, petalis quinque oblongis, coloris ex albo viridescentis, saporis dulcis subviscidi, odoris suavissimi, caput parum obnubilantis, qui vero siccatione perit.

Vires lenissime stimulantes, nervinæ.

Dosis ad Drachmas duas pro sex unciis infusi.

Monogr. Joach. Steigii descriptio Tiliæ.
Ilmerus de Tilia.

Tormentilla *Offic.*

Tormntille.

Tormentilla erecta Botan. Tormentilla caule erectiusculo, foliis sessilibus Lin. Planta perennis in sylvis, pratis & pascuis siccis frequens.

Pars usualis. *Radix* nodoso tuberosa, brevis, contorta, solidioris compagis, valde fibrosa, foris fusca, intus ex flavo rubescens, sæpe maculis lignosis variegata, saporis constringentis & austeri. Tam adstringens est radix hæc, ut ad coria densanda aptius, quam cortex quercus inserviat. Aquæ & spiritui vini partes suas adstringentes impertit. Ejus infusa colorem rubrum adquirunt, atque subroseum odorem spargunt.

Præparatum. *Extractum Tormentillæ*, ex decocto radicis inspissato.

Vires valde adstringentes, roborantes, profluvia a laxitate sistentes. Hinc in diarrhæa chronica, in hæmorrhagiis laudatæ, neque inutiles in febribus intermittentibus. Externe ad locales debilitates.

Dosis in pulvere a granis decem ad triginta, in decocto ab uncia semis ad integram pro libra aquæ. Extractum a quinque ad viginti & plura grana.

Tragacantha *Offic.*

Traganth.

Astragalus gummifer & creticus Botan. Frutices exigui in Gallia meridionali, Italia, præ ipue vero in Græciæ Insulis & Oriente crescentes; ex quorum cortice & seminibus succus gummosus sponte prorumpit, qui contactu aëris condensatur. In laminis rugosis, lineam plus vel minus crassis, pellucidis, contortis, fragilibus, vel & in granis advehitur sub nomine Tragacanthæ. Ab initio al-

bescit, tractu temporis flavescit; odoris nullius, saporis mucilaginosi. Difficulter in aqua solvitur; intumescit quidem, & crebra agitatione turbidam init miscelam, sed quiete sedimentum glutinosum fundum petit. Drachma una, tres uncias aquæ in crassam mucilaginem redigit, atquæ libræ aquæ syrupi spissitudinem inducit. Vilissima species, impuritatibus inquinata sordida, flava vel fusca, Tragacantha in sortis sive gummi de Balsora nuncupatur.

Præparatum. *Mucilago Tragacanthæ* ex granis decem cum duabus unciis aquæ parata.

Ingreditur ob vim conglutinantem & mucilaginosam varia pharmaceutica præparata.

Vires nutrientes, mucilaginosæ, obvolventes in dysenteria, stranguria, tussi, & post venena ingesta laudabiles. Ad camphoram quoque in mixturis aquosis solutam tenendam, optimum remedium.

Dosis minime periculosa.

Trifolium fibrinum *Offic.*

Bitterklee.

Menyanthes trifoliata Botan. Menyanthes foliis ternatis Lin. Planta perennis in locis paludosis & in fossis indigena

Pars usualis. *Herba*, mense Majo colligenda, foliis ovato oblongis, longiter petiolatis, ternatis, glabris, integerrimis, majoribus, læte viridibus, odoris subfœtentis, saporis insigniter amari.

Præparata. *Conserva Trifolii fibri-*

ni ex herba recenti cum triplo sacchari. Extractum Trifolii fibrini ex decocto herbæ exsiccatæ.

Ingreditur tincturam visceralem.

Vires roborantes, stomachicæ, resolventes; in laxitate primarum viarum, cachexia, ictero, scorbuto, viscerum obstructionibus, hydrope incipiente &c. summæ commendandæ.

Dosis ad unciam semis pro libra decocti. Succus recenter pressus ad unciam unam. Conserva ad plures drachmas. Optime extractum forma pilulari ad unam alteramve drachmam in die.

Monogr. Jo. Chr. Schröeri scrutin. medicum de nat. & virib. Trifol. fibr.

Ph. Fr. Eysel de Trifolio fibrino. Erf. 1716.

J. Fr. Bockelmann de Trifolio paludoso. L. B. 1719.

J. Franci Hist. Trif. fibrini observ. illustrata. Der edle Scharboks und Fieberklee von N. K. P. S.

J. Val. Willii Exercit. de miris virt. Trif. fibr. in Act. Hafn.

Math. Tillingii Obs. de Trif. fibr. in Ephem. nat. Cur.

Tussilago vide Farfara.

Tutia vide Zincum.

Valeriana Sylvestris *Offic.*

Gemeiner Baldrian.

Valeriana officinalis Botan. Valeriana floribus triandris, foliis omnibus pinnatis Lin. Planta perennis in locis nemorosis indigena.

Pars usualis. *Radix* ex trunco brevi, oblongo, fibris crassis, teretibus, divaricatis terminata extus flavis, intus albis, saporis acris, aromatici, subamaricantis & subadstringentis, odoris gravis, penetrantis, hircini & subnauseosi. Hæc radix colligi debet in locis siccis & montanis, atque primo vere evelli, in umbra siccari, & clausis vasis adservari. Non substituatur radix Valeridæ dianicæ.

Præparatum. *Extractum Valerianæ* ex tinctura radicis spirituosa inspissata.

Ingreditur electuarium contra vermes.

Vires roborantes, potenter stimulantes & nervinæ, antispasmodicæ, anthelminthicæ, in febribus nervosis cum singultu, tendinum subsultu, convulsionibus &c. & in malis nervosis chronicis convulsivis & epilepticis eximiæ, præcipue ubi vermium consortium.

Dosis in pulvere — in quo summa efficacia — a granis viginti ad semidrachmam & ultra. In infuso aquoso aut vinoso drachmæ duæ, aut & semiuncia pro libra. Extractum ad unum alterumve scrupulum.

Monogr. J. C. Spies de Valeriana. Helmst. 1724.
M. Alberti (J. F. Stanke?) Diss. de Valerianis officinalibus. Hal. 1732.
G. Diesky de Valeriana officinali. Erl. 1776.
B. H. Stör de rad. Valerianæ offic. in febribus acutis effectu. Erl. 1799.

Verbascum *Offic.*

Himmelbrand.

Verbascum Thapsus Botan. Verbascum foliis decurrentibus utrinque tomentosis, caule simplici Lin. Planta biennis; in arenosis, ruderatis indigena.

Partes usuales. *Folia* longa, ovato lanceolata, obsolete dentata, mollia, crassa, ex griseo viridia, utrinque lanuginosa, saporis herbacei subamari, subadstringentis. *Flores*, mense Julio colligendi, suaveolentes, & mellei subpinguis saporis. Corollæ sunt rotatæ monopetalæ, subæquales, tenues, limbo luteo quinquepartito.

Ingrediuntur species pectorales.

Vires emollientes, sub certo respectu anodynæ; potissimum in tussit & phthisi laudatæ. Flores virium intensitatæ herbam superant.

Dosis florum ad drachmas duas & ultra pro libra infusi, herba uncia semis in decocto. Pro fomentationibus & gargarismatibus, etiam major dosis.

Monogr. Jac. Risler de Verbasco. Arg. 1754.

Veronica *Offic.*

Ehrenpreis.

Veronica officinatis Botan. Veronica spicis lateralibus pedunculatis, foliis oppositis obovato — subrotundis pilosis annuis, caule procumbente hirto Willden. Planta perennis in pascuis & sylvis frequens.

Pars usualis. *Herba*, tempore verno legenda, foliis ovatis, dentatis, obpositis, læte vi-

ridibus; odoris nullius, saporis amaricantis, subadstringentis.

Ingreditur species pro Thèe.

Vires lenissime roborantes, non multum sudoriferæ, ut vulgo ajunt, & pectorales. Tota planta fatina & iners.

Dosis ad semiunciam & ultra, pro libra infusi.

Monogr. Fr. Hoffmann de Veronica præferenda herbæ Theæ. Hal. 1694.
Jo. Franci polychresta herba Veronica.
— — — Veronica theizans. Cob. 1706.
Ph. Fr. Eysel de Veronica. Erf. 1717.
J. G. Dolfus de Veronica. Basil. 1781.

Vinum.

Vitis vinifera Botan. Frutex perennis sarmentosus, apud nos & in aliis temperatis atque calidioribus regionibus sedulo cultus, uvas fert unicuique notas, ex quibus maturis succus plus minus acidodulcis exprimitur, mustum dictus.

Hocce mustum cum recenti butyro ad humidi consumtionem coctum, addita cera & panxillo olei de Bergamo unquentum de vis sive unguentum ad labia officinis sistit, ob vim adstringentem emollienti junctam, ad labiorum aridorum papillarumque fissuras crebro adhibitum.

Idem succus fermentationem spirituosam passus, vinum fit, quod quidem & ex succo pomorum fructuumque aliorum acido dulcium nec non ex melle obtineri potest; sed gratissimum ex uvis atque fortissimum. Hujus vini odor & sapor multi-

plex quidem est, & pro diversitate uvarum, nec non varia sua ætate multum diversus, specificus; generatim autem gratus, spirituosus, vinosus proprie dictus.

Virium ususque vini doctrina Diæteticam potius spectat, quam Pharmacologiam. Quum tamen vina ad infusa varia vinosa, fomentationes vinosas diversas &c. ex ipsis officinis pharmaceuticis sæpe præscribantur, imo a nonnullis medicis ipsis decoctis & mixturis quandoque addantur; hinc generaliores saltem regulas de viribus atque usu vinorum adducere hic licebit.

Vires vini in genere sunt stimulantes, calefacientes, excitantes, stomachicæ, exhilarantes, inebriantes, sudoriferæ; externe roborantes, resolventes, putredini adversæ. Specialiores vires ab ætate vini, a cœlo, sub quo crescunt, a solo, in quo coluntur, ab ipsa colendi ratione, denique a stirpis specie fere ipsa dependent.

Vina acida, austera, multo tartaro fæta, vina saxonica, silesiaca, moldavica, rubra agriensia, budensia, siksardiensia, gallica rubra ordinaria, viribus adstringentibus, roborantibus prævalent.

Vina acidula, acido prædominante instructa, atque aquæ miscelam facile & cum gratia ineuntia, rhenana, mosellana, neccarina austriaca, moravica, in Hungaria Schumlaviensia, dum juniora sunt, minus stimulant urinasque copiose pellunt, ætatem nacta & benefermentata, spirituosa magis & magis stimulantia evadunt.

Vina subdulcescentia aut vere dulcia acidam oleo obvolvunt, aquam minus ferunt, hinc

facilius inebriant; quo vetustiora, eo generosiora evadunt. Debiliora sunt vina græca, italica, tyrolensia, gallica nonnulla alba, campanica, muscatellina.

Generosiora sunt vina hispanica, malacensia, maderacca, capensia, transsylvanica & hungarica alba, dum vetusta, rexque omnium, vinum Tokayense.

Externe omne vinum viribus excitantibus, resolventibus, discutientibus, roborantibus, antisepticis gaudet; quare pro fomentationibus crebro adhibetur.

Dosis vini non facile determinanda, pro varii stimuli necessitate, pro varia ægri consuetudine, ætate &c. varia. Cauta debet esse & cochleatim fere instructa in ægris debilibus summeque simul irritabilibus, sæpiusque potius repeti, quum transitorios effectus causet. Cautissima in infantibus, si quidem fas est, illis vinum exhibere.

Spiritus vini post fermentationem vinosam ex vino, tum etiam ex fecibus vini & vinaceis destillatione obtinetur. In regionibus, ubi nulla viticultura, ex frumento (spiritus frumenti), ex prunis (Sliwowiza), ex cerasis (spiritus cerasorum), ex saccharo (Tafia seu Rum) ex oryza (Arak), ex lacte (Kumis) fermentatis obtinetur.

Est liquidum inflamabile, aquæ miscibile, levissimum, summopere volatile, consueto frigoris gradu non congelandum, odoris fragrantissimi, saporis acris constringentis, reficientis proprie spirituosi dicendi. Olea ætherea, camphoram, resinas ve-

getabiles, balsama naturalia, saponem solvit, hinc ad varias essentias & tincturas pharmaceuticum in usum trahitur. Solvit quoque sales quosdam, salem ammoniacum, mercurium sublimatum, saccharum, salem sedativum, flores benzoës, & illos medicos sales quos acidum aceti intrat. Mediante calore unitur etiam cum salibus alcalinis fixis causticis, constituitque cum illis producta saponacea, aut tincturas alcalinas. Gummata vero non solvit, atque in olea pressa, piguedines animales, ceram, succinum &c. vix ullas vires exserit. Cum acidis singularem effectum producit, incalescit cum quibusdam, cum omnibus autem, precipue concentratis intime unitur, atque hac unione tollit horum acrimoniam, & iis saporem reficientem, odorem gratissimum volatilem conciliat. Hoc modo oriuntur acida dulcificata; & naphthæ. Cum spiritu salis ammoniaci aquoso coagulatur in Offam Helmontii, atque hac ratione quoque coagulat lac, albumen ovi, serum sanguinis.

Quo plus aquæ hic spiritus continet, eo debilior erit; ideo repetitæ destillationes & rectificationes requiruntur, ut ab aqua liberetur. Imo spiritus vini vulgaris sæpe multas partes alienas acidas & oleosas continet, ut ex odore & colore cognoscitur; hinc ut de puritate certi sint Pharmacopæi, non adhibeant venalem, nisi destillatione prægressa depuratum. Inde varias denominationes adquirit, ratione majoris aut minoris quantitatis phlegmatis aut & heterogenei contenti. Nempe spiritus vini vulgaris, spiritus vini rectifica-

tus, spiritus vini rectificatiſsimus, seu Alcohol vini.

Certiſsimum signum fortitudinis ejus desumitur expondere relativo cum pondere aquæ. Gravitas specifica spiritus vini rectificati erit 9, 42, seu vasculum, continens aquæ destillatæ uncias sex, continebit hujus spiritus uncias quinque, drachmas sex & grana duo. Gravitas specifica Alcoholis erit 8, 29, seu vasculum continens aquæ destillatæ uncias sex, continebit hujus Alcoholis uncias quatuor, drachmas septem & grana triginta novem.

Vires spiritus vini sunt interne inebriantes, in cauta dosi vero summe stimulantes excitantes, roborantes, stomachicæ, diureticæ. Hocce ergo scopo ad varia præparata adhibetur. Externe præter vires stimulantes, exserit etiam antiputredinosas, roborantes, & vera stipticas. Adplicatur propterea in gangræna humida (præsertim cum camphora); ad partes quoque laxas, herniosas, ad tumores œdematosos, ad ulcera & vulnera nimis manantia (prouti aqua vulneraria cum vino), ad inflammationes chronicas ex atonia ortas, uti anginas & ophthalmias. Ob vires denique stipticas, vasa atona aut diſsciſsa crispantes, sanguinemque & serum coagulantes, ad hæmorrhagias sistendas creberrimum in usum vocatur; a Bohnio 1683 inventum.

Dosis prouti vini multum varia, casui dato ad commodanda.

Monogr. P. Canonher de admirandis vini virtutibus. Antv. 1627.

A. E. Buchner de vino, ut medicina & venene Hal. 1756.

N. Burmester Diss. de usu vini medico. Gott. 1797.
T. Kappenhagen de insigni usu spirit. vini in sanandis vulneribus. Alt. 1745.
J. P. Koch de spiritu vini, medicam. ad sistend. hæmorrh. optimo Hal. 1762.
J. B. Schurmann Diss. de effectibus liquorum spirituos. in G. H. Hard. 1791.
Plura in Diæteticis.

Viola *Offic.*

Blaue Veilchen.

Viola odorata Botan. Viola acaulis, foliis, cordatis, stolonibus reptantibus Lin. Plantula perennis, in australioris Europæ nemoribus, & pascuis, etiam in hortis crebra.

Pars usualis. *Flores* primo vere legendi, corolla quinque petala, irregulari, postice cornuta, petalis purpureo cæruleis, odoris specifici gratissimi; saporis subamaricantis & mucilaginosi.

Præparatum. *Syrupus Violarum*, ex infuso florum a calycibus mundatorum, cum duplo sacchari paratus.

Vires emolientes, lenissime, ut ajunt, anodynæ, ad tussim, aphthas dolentes infantum laudatæ, sed insufficientes fere. Prævalet coloris gratia, ad chemica simul experimenta idonei.

Dosis non periculosa.

Monogr. G. W. Wedelius de Viola martia purpurea. Jen. 1716.
J. S. Henninger de Viola martia purpurea. Arg. 1718.

D. G. Triller de morte subita ex nimio violar. odore suborta. Vit. 1762.

Fr. A. Keszler de Viola. Vien. 1763. It. in Wasserberg Fascic. Dissert.

Viola tricolor, Jacea *Offic.*

Dreyfaltigkeitsblume. Freysamkraut.

Viola tricolor Botan. Viola caule triquetro diffuso, foliis oblongis incisis, stipulis dentatis Lin. Plantula reptans, in agris & pascuis crebra, in hortis quoque pulchriori & pleno flore culta.

Pars usualis. *Herba florida*, mensibus Junio & Julio legenda, foliis ovato oblongis, incisis, floribus quinque petalis tricoloribus. Odor herbæ nullus, sapor mucilaginosus, amaricans, subacris.

Vires lenissime irritantes, in majori dosi purgantes, subemeticæ, diureticæ; in morbis lymphaticis, scrophulosis, cutaneis, & specificæ in achoribus post Mathiolum & Tabernæ montanum a strackio laudatæ.

Dosis in pulvere a granis decem ad triginta. In infuso aquoso aut lacteo a drachmis duabus ad semiunciam, cochleatim infantibus exhibendo. Externe ad fomentationes major dosis.

Monogr. A. Haase Viola tricolor. Erl. 1782.

G. G. Ploucquet de virtutibus quibusdam Violæ tricol. Arnicæ & Assæ fæt. p. exper. clin. comprob. Tub. 1786. r. Eccard.

Viscum quercinum *Offic.*

Eichenmistel.

Loranthus europæus Botan. Loranthus racemis simplicibus terminalibus, floribus dioicis Lin. statura Visci albi Lin., cui proprie vires medicatæ adscribuntur. Planta parasitica, aliarum arborum, præcipue quercus succo nutrita, in tota fere Germania, præcipue in Austria vulgaris.

Pars usualis. *Lignum*, seu caules potius lignosi, bifurcati, cortice e flavo fusco incrustati, odoris, dum recentes sunt, debilis, specifici, saporis nauseosi, subadstringentis, qui uterque vero sicatione perit.

Ob vires specificas antiepilepticas quondam multum laudatas, ingreditur pulverem antiepilepticum Dispensatorii nostri. Sed inutile lignum esse solide defendunt alii, atque jam suo tempore Rich. Meadius propria experientia hocce compertum habuit. Druidarum veterum religioni commendationem hanc unice deberi putavit.

Dosis in pulvere a drachma semis ad unam; in decocto ad unciam unam.

Monogr. J. J. Baier de Visco. Alt. 1706.
J. H. Kölderer de Visco. Arg. 1747.
B. J. de Buchwald analys. Visci, ejusque in diversis morbis usu. Hafn. 1753.
Chr. Fr. Pfündel de Spasmis Visco, albo persanatis. Jen. 1783.
Colbacihius de eod. argum.
Ad. a Lebenwald de Visci quercini admiranda virtute, præcipue antepileptica, In Ephem. Nat. Curios.

Vitrioli Oleum *Offic.*

Acidum sulphurosum concentratum, ob spissam consistentiam incongruo olei nomine insignitum, ex sulphure potissimum, aut ex vitriolo martis calcinato vi ignis obtinetur; in Anglia, Galia, Hollandia, Germania paratur. Ponderosum est, fuscum & fumans, odoris sulphurei, saporis — etiamsi maxime dilutum — acidi, stiptici. Concentratum pro usu pharmaceutico frequenter quidem, pro usu vero medico nonnisi dilutum adhibetur. Ex oleo scilicet vitrioli cum sex partibus aquæ destillatæ mixto exoritur spiritus vitrioli acidus, crebro in usum medicum tractus.

Ingreditur tincturam aloës acidam & aromaticam acidam.

Præparata. Oleum vitrioli cum tribus partibus spiritus vini rectificatissimi abstracta medietate destillatum, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni sistit, spiritum ætheris sulphurici. Optimus est, dum limpidissimus, dum sulphur non redolet, sapore omni acescente caret, cum alcali non effervescit, succos vegetabiles cæruleos non mutat, & gummiferulacea perfecte solvit. Aether sulphuricus vero, sive vitriolicus ex anaticis eorumdem ingredientium portionibus repetita destillatione obtinetur; frigoris sensum, sicuti instillatur, imprimit. Simplex denique mixtio ex anaticis partibus olei vitrioli & alcoholis Elixirium acidum Halleri dicitur.

Vires & dosis. *Spiritus vitrioli aci-*

dus vires stipticas & crispasante quas in lingua gustatus exserit, in omni parte organica viva exserere videtur, atque organismum firmare & roborare non inepte creditur. Propterea in nimia fibrarum debilitate & irritabilitate, atque in nervoso erethismo sub morbis tum febrilibus tum chronicis eximios effectus producit. Imo in omni fere febrium genere Reichiano aliorumque experimento commendatur; itidem in epilepsia, malisque nervosis convulsivis ex erethismo omnibus; nec non in scorbuto, ob vires vere tonicas potius, quam imaginatæ putredini resistentes. Jam circa annum 1616 Siglicius hoc acidum in sanandis febribus manum Dei vocavit.

Dosis communiter quidem a drachma una duas pro libra aquæ, atque cum uncia syrupi gratissimus potus exoritur. Attamen longe majori dosi ab ægris fertur, nullasque præter dentium stuporem incommoditates causat, si non diarrhæam levem, aut ventris expansionem, externe in hæmorrhagiis, ad contusiones & sugillationes cum fructu adplicatur.

Liquor anodynus & naphtha sive æther vitrioli vires summe stimulantes & penetrantes, reficientes, nervinas, antispasticas, stomachicas, carminativas, diureticas vario gradu possident, in omni genere morborum nervosorum atque debilitatum — qui stimulos ferunt — omni laude superiores.

Dosis non facile eadem, a guttis viginti ad drachmam unam de die, pro varia indicatione; in vehiculo aquoso, aut guttatim ex saccharo. Aether vitrioli penetrantior est, proinde cautiori dosi, sed sæpius repetita exhibendus.

Monogr. Fr. Hoffmann de acido Vitrioli vinoso. Hal. 1732.
J. H. Schulze de oleo Vitrioli dulci. Hal. 1732.
H. Ludoff de acidi Vitrioli præstantia. Erf. 1739.
J. A. J. Scrincius de oleo Vitrioli dulci. Prag. 1758.
G. Fr. Siegwart de Naphtha Vitrioli. Tub. 1764.
Chr. Fr. Rottböll de usu medico acidi Vitriol. Hafn. 1778.
A. Campbell Observ. de acido Vitriol. Edinb. 1778.
P. J. Hartmann de acidi Vitriol. virtute calculi pellente. 1778.
J. Ch. A. Mayer Aetheris vini & aquæ frigidæ præstantia in febre lenta nervosa. Frft. 1784.
A. H. Hülsenkamp Diss. quædam de æthere Vitriol. experimenta exhibens. Gron. 1791.
L. J. Windorff Diss. de acidi Vitrioli in morborum medela usu & abusu. Erl. 1792.

Vitriolum album vide Zincum.

Vitriolum cupri vide Cuprum.

Vitriolum martis vide Ferrum.

Urtica major *Offic.*

Brennessel.

Urtica dioica Botan. Urtica foliis oppositis cordatis, racemis geminis Lin. Planta perennis vulgatissima.

Pars usualis. *Herba*, foliis cordatis, serratis, petiolatis, e griseo viridibus, pilosis, cutem exurentibus cum rubedine & vesiculis, odoris nullius, saporis herbacei, aquosi subadstringentis.

Ingreditur electuarium pectorale.

Præparatum. *Conserva Urticæ* ex foliis recentibus cum duplo sacchari.

Vires resolventes, diureticæ laudatæ, non magnæ. In morbis pectoris a nonnullis in usum trahitur. Herba recens pro urticatione partium paralyticarum.

Dosis minime periculosa.

Monogr. J. H. Slevogt de Urticis. Jen. 1707.
Jo. Franci Tract. de Urtica urente. Diling. 1723.
Hufeland von der Urtication in Journ. d. Medic.

Uva ursi *Offic.*

Sandbeere.

Arbutus Uva ursi Botan. Arbutus caulibus procumbentibus, foliis integerrimis Lin. Frutex in sylvis arenosis Germaniæ & reliquæ frigidoris Europæ habitans.

Pars usualis. *Folia*, oblongo ovata, basi angustiora, apice subrotunda, glabra, venosa, integerrima, crassa, solida, breviter petiolata, supra profunde, infra pallide viridia, saporis grate amari, substiptici, odoris debilis subbalsamici glycyrrhizini. Male substituntur folia vaccinii vitis ideæ & buxi sempervirentis.

Vires roborantes, adstringentes quodamodo diureticæ, in leucorrhæa; urinæ incontinentia, ischuria a paralysi vesicæ stranguriæ, ulceribus renum & vesicæ, nec non in ipso calculo, plus quam justum est, laudatæ.

Dosis in pulvere a granis quindecim ad quadraginta, pluries in die. In decocto, aut poti-

us infuso a drachmis duabus ad semiunciam. Hocce a solutione vitrioli martis illico nigrescit.

Monogr. M. Girandi de Uva ursina, ejusq. & aqu. calc. vi lichontript.

J. A. Murray Commentatio de Uva ursi. Gott. 1765.

Zedoaria *Offic.*

Zittwerwurzel.

Amomum Zedoaria & Kæmpferia rotunda Botan. radicem largiuntur, quæ in officinis sub nomine radicis Zedoariæ prostat, in longam & rotundam distinctam. Ex India orientali, præcipue ex Malabaria & Zeilonia per Belgas advehitur in frustis aliquot pollices longis, minimum digitum crassis, transversim dissectis, ponderosis, incurvis, rugosis, angulosis, tuberculosis, externe pallidis, intus rubellis, saporis aromatici, subacris & amaricantis, odoris penetrantis, camphoracei.

Vires aromaticæ, stimulantes, calefacientes, stomachicæ, carminativæ, sudoriferæ, resolventes, etiam contra vermes laudatæ. Ad acuendas vires & gratiam aliis potius medicaminibus additur hæc radix.

Dosis in pulvere a granis quinque ad viginti; in infuso vinoso ad drachmas duas, tres &c.

Monogr. Sam. G. Mauritii Relatio de Zedoaria.

Zincum. Zink.

Semimetallum lamelosum, quodammodo tractabile, cærulescentis argentei nitoris. Ante ignitio-

nem facile liquatur, & in igne forti in flammam elegantem pallide virentem exardescit, fumoque albo, nonnihil alliaceo flagrat. Sensim aëre libero in calcem albam comburitur, & floccorum niveorum instar in atmosphæram adscendit & sublimatur. Sic oriuntur flores Zinci (oxydum Zinci sublimatum), in quos integrum Zincum converti potest; quarta parte Zincum pondere superantes.

Forma metallica Zincum medicis non usitatum est, neque in natura occurit; nisi oxydatum aut calcis forma; quæ mineræ in India orientali, regno sinensi, & in Germania penes Goslariam deprehendentur. Dum igne tractantur, flores quoque sublimatos in furni angulos dimittunt; qui quo altius colliguntur, eo puriores, albidiores, leviores, nihilum album seu Pompholyx dicti; quo profundius vero, eo impuriores & magis grisei; Tutia officinarum. Mineræ Zinci goslarienses, tostione, elixatione & crystallisatione salem metallicum largiuntur, ex Zinco & acido vitriolico compositum, vitriolum album sive Zinci dictum (sulfas Zinci); ob plumbum vero, cuprum, ferrum, argentum, sulphur adhærentia, pro usu medico depurandum. Sacchari instar album & duriusculum est, saporis austeri, summe adstringentis, nauseosi, in aëre defatiscit, in triplo fere aquæ exacte solvitur.

Vires & usus. *Flores Zinci* a medicastro Ludemanno in usum medicum introducti, interne venenatas vires exserunt; largiori dosi nauseam & vomitum causant; minori autem pondere exhibiti, more aliorum emeticorum tubum alimenta-

rem irritant, vermes necant, totum systema alterant, sudores movent, spasmos & nervorum turbas e debilitate exortas sedant; proinde in morbis convulsivis & in epilepsia bonos sæpe effectus produxerunt. Externe posident vires adstringentes, exsiccantes, specialius in ophthalmiis laudatas. Dosis in pulvere a dimidio grano vel uno incipiendo, atque adscendendo augenda, quousque vomitum aut cardialgiam non causat.

Tutia cum pauxillo camphoræ, cera alba & axungia unguentum de Tutia ophthalmicum ingreditur.

Vitriolum album viribus adstringentibus, exsiccantibus gaudet, emeticis in majori dosi (nisi hoc a cuprea fors labe pendeat), atque errhinis, dum naribus adtrahitur. Exiguo pondere propinatum spasmos coërcet, atque in epilepsia, in asthmate spasmodico, palpitatione cordis, in colica saturnina, rheumatismo & arthritide chronicis, nec non in intermittentibus febribus optato effectu sæpe adhibitum fuit. Externe ob vires depurantes & exsiccantes in gonorrhæa & fluore albo, in ulceribus & aphthis faucium, in profluviis sanguinolentis, in scabie (uti unguentum Jafseri) & herpete, in ophthalmiis & obscurationibus corneæ plurimum convenit.

Dosis scopo emetico a scrupulo uno ad semidrachmam, ut momentaneus vomitus exoriatur post venena deglutita. Scopo antispastico a grano semis ad tria grana, continuato usu adscendendo, per se, aut cum opio. Externe granum unum ad unciam aquæ destillatæ pro injectione in gonorrhæa

aut fluore albo, aut cum aqua rosarum vel sambuci in ophthalmiis, cum aquæ majoranæ in naribus muco vel pure obstructis.

Monogr. J. S. Lawson de Nihilo. L. B. 1737.
J. Hart de Zinco, ejusq. florum usu medico. L. B. 1772.
Wiel de usu interno nuc. vom. & Vitrioli albi in pertinac. morb. curandis conspicuo. Witeb. 1775.
G. L. Hurlebusch de Zinco medice consid. Helmst. 1776.
A. J. Wurgo de Zinco. Vindob. 1777.
P. J. Hartmann super flor. Zinci usu interno. Erf. 1778.
L. Crell de Zinco medico recentius observata. Helmst. 1780.
C. H. Stolte de Vitriolo albo, ejus usu medico & chirurg. Gott. 1787.
E. H. A. Kohlmann observ. clinicæ, quarum ope Flor. Zinci vires in morb. asthmat. examinantur. Erf. 1791.
Fr. D. Kerksig obs. & experim. circa usum Zinci & Bismuthi. Hal. 1792.
C. H. Stolte de Vitriolo albo. 1792.
A. M. Birnholz de præcipuis Zinci calcibus Lips. 1796.

Zingiber *Offic.*

Ingwer.

Amomum Zingiber Botan. Amomum scapo nudo, spica ovata, squamis ovatis, foliis lanceolatis, ad apicem margine ciliatis Willden. Planta perennis in India orientali & Africa occidentali, Madagascar, Guinea &c. spontanea. Ex India ori-

entali in Americam translata, præcipue hodie in Antillanis & Jamaica colitur.

Pars usualis *Radix*, quæ nobis adportatur in segmentis nodosis, tuberosis, hipollicularibus, sublobatis, compactis & compressis, coloris externe albidi, vel straminei, vel cinerei, intus solida, resinosa, ex rubro flava, saporis valde acris, fervidi & odoris grati aromatici.

Ingreditur balsamum embryonis.

Vires aromaticæ, stimulantes, stomachicæ, in colica flatulenta & primarum viarum debilitate laudatæ. Maneat culinis hoc aroma.

Dosis a granis quinque ad quindecim & ultra in pulvere; in infuso vinoso ad drachmam unam & plures. Etiam masticatoriis inservit.

Monogr. J. A. Gesner de Zingibere. Alt. 1723.

CAPUT DECIMUM.

DE PHARMACIS COMPOSITIS DISPENSATORII NOSTRI.

Medicaminum optimæ sane compositiones illæ sunt, quæ dato cuivis casui a Medico adaptantur, atque ut ajunt — magistraliter præscribuntur.

Interea tamen in pharmacopoliis pro varii dispensatorii norma, varia composita pharmaca venalia jam præsto sunt; tum quia clinicis experimentis aliquam sibi auctoritatem nacta sunt, tum quia non quævis extemporaliter parari possunt; tum etiam — quæ quidem ultima, nec sufficiens ratio videtur — quia a plebe ad illa adsueta crebro expetuntur.

Horum inefficacia nonnulla & fatua penitus e dispensatoriis exulata sunt; alia vero ob efficaciam aliquam conservata, sed multum simpliciora reddita atque a pluribus ingredientibus, sive superfluis, sive & abpositis quandoque, quantum licuit, depurata.

Pauciora omnino, quam sequentia in dispensatorio nostro adhuc enumerata, practico medico sufficient. *)

*) Daehne de noxia medicamentorum compositor. in pharmacopoliis copia. Lips. 1796.

Acetum antisepticum.

Herbæ siccæ absinthii vulgaris, pontici, rosmarini, salviæ; menthæ, rutæ ana sesquiuncia, florum siccatorum lavandulæ unciæ duæ, calami aromatici, cinnamomi, caryophyllorum, nucis moschatæ, allii ana drachmæ duæ, in libris octo aceti vini optimi macerantur ad perfectam extractionem, vase clauso. Colaturæ expressæ & filtratæ adduntur camphoræ drachmæ sex, & servatur in lagena bene clausa. Optimum, dum recens paratum, ne camphoræ summe volatilis viribus privetur. Ab inventoribus acetum quatuor latronum. (Vinaigre de quatre voleurs) dictum.

Vires hujus aceti tum interne exhibiti, tum externe naribus adtracti, ore retenti, aut ad cutem adplicati sunt summe excitantes, penetrantes, analepticæ. Ejus usus vel prophylacticus tempore epidemiarum malignarum, aut post morsum rabidum, vel & curativus laudatur in morbis variis a debilitate oriundis. Quammaxime externe forma fomentationis aut gargarismatis ad ulcera fæda, ad partes gangrænosas, & ad anginam malignam, præcipue ulcerosam adhibetur.

Dosis interne a drachmis duabus ad semiunciam.

Aqua aromatica spirituosa vulgo Balsamum Embryonis.

Florum lavandulæ herbæ siccæ salviæ, melissæ, menthæ crispæ ana quatuor unciæ, nucis

moschatæ, caryophillorum, cinnamomi, macis, radicis zingiberis, seminum fæniculi ana unciæ duæ conscinduntur, in libris quatuor spiritus vini rectificatissimi, viginti aquæ libris diluti per nychthemerum macerantur, atque sexdecim libræ abstrahuntur.

Vires sunt excitantes, nervinæ, antispasmodicæ, carminativæ. Interne raro, ad guttas aliquot aquæ instillatas præscribitur; externe in animi deliquiis naribus admovetur, aut debilibus ad arterias pulsantes vulgo inungitur. A sola plebe utplurimum pro gravidis debilibus atque in abortum proclivibus expetitur, unde nomen adquisivit.

Aqua carminativa communis.

Florum chamomillæ romanæ semilibra, corticum aurantiorum, citri, herbæ absinthii pontici, menthæ crispæ, seminum coriandri, carvi, fæniculi ana sesquiuncia, concissa & contusa macerantur per nychthemerum in sexdecim aquæ libris, & medietas abstrahitur.

Vires antispasticæ, carminativæ, stomachicæ.

Dosis ab uncia una ad plures in mixturis ad eundem scopum agentibus. Cum syrupo kermesino jentaculum potius pharmaceuticum, quam medicamen.

Aqua vulneraria cum aceto.

Anaticæ partes herbarum recentium cerefolii, salviæ, rutæ hyssopi, serpylli, & florum chamo-

millæ vulgaris, conscissæ digeruntur per 24 horas in decuplo aceti vini optimi, & duæ tertiæ abstrahuntur.

Vires roborantes, discutientes, antisepticæ, pro usu externo in contusionibus, sugillationibus & gangræna incipiente destinatæ.

Aqua vulneraria cum vino
seu
spirituosa.

Herbæ recentis origani, hyssopi, menthæ crispæ, salviæ, rutæ, rosmarini, serpylli, thymi, melissæ, majoranæ, & florum lavandulæ ana uncia, digeruntur in decem unciis spiritus vini rectificatissimi duodecim aquæ libris diluti, & abstrahuntur libræ decem.

Vires ob spiritum loco aceti contentum magis stimulantes & roborantes. Usus præcipue ad vulnera cruenta recentia & hæmmorrhagias. Promptius & ex tempore aqua vulneraria Thedenian a habetur ex spiritu vini & vitrioli, aceto & saccharo; aut sale quodam medio cum aqua.

Balsamum saxonicum.

Olei destillati lavandulæ, succini ana quatuor scrupuli, olei origani, majoranæ, salviæ, anthos ana drachma una, olei macis, rutæ, menthæ ana duo scrupuli, & olei pressi nucis moschatæ unciæ quinque frigide inter se miscentur in balsamum.

Vires stimulantes valdopere, nervinæ, carminativæ. In torminibus ventris e causa frigida,

præcipue infantum, abdomini illinitur, atque usui ergo mere externo inservit. Adultioribus modica quantitate (ad guttas aliquot) cum jusculis, quondam in simili adfectione exhibitum fuit. Hystericis gratum odoramentum.

Electuarium anodynum
vulgo
Theriaca.

Ab Andromacho Imperatoris Neronis Archiatro inventa, ac contra animalium venena, quin & contra plurimos alios, præsertim malignos morbos luxuriante laude elata. Olim compositissimum remedium, ex superfluis, imo contradictoriis ingredientibus conflatum; hodie simplicius redditum, nam ac opio scilla & aromatibus vires unice dependebant.

Solvitur juxta nostrum dispensatorium hodiernum opii purissimi uncia una in quatuor unciis aquæ cinnamomi spirituosæ, admiscenturque mellis despumati libræ tres cum semisse, atque roob juniperi semilibra. Denique adduntur pulveris specierum resolventium unciæ octo, & pulveris radicis serpentariæ virginianæ unciæ tres cum dimidia, ut fiat electuarium.

Vires stimulantes, diaphoreticæ, ab opio contento plurimum pendentes. Usus in morbis ventriculi & intestinorum e laxitate, in vomitu, singultu, diarhæa febribus nervosis & malignis &c. Olim pro Panacea hoc remedium habebatur. Quum vero incautius adhibitum ad variolas expellendas,

Angliæ Reginæ Mariæ mortem causaverit testane Harisio, multum celebritatis perdidit. Tamen & hodie adhuc magnus ejus inter plebem abusus.

Dosis determinatur juxta opii contenti necessariam quantitatem. Ob granum unum opii in 64 circiter granis Theriacæ contentum, dosis vulgo a semidrachma usque ad unam esse solet. Forma in bolo vel electuario, etiam cum vino. Externe pro scuto aut emplastro stomachico; nec non in clismate.

Monogr. Th. Bartholini Diss. II. de Theriaca.
Libarii Diss. de Theriaca Andromachi.
M. de Odis medit. in Theriacam. Ven. 1576.
Gu. Rondelet de Theriaca. L. B. 1652.
C. Budæi relatio de Theriaca.
Chr. Wedelius de Theriaca Jen. 1700.
Fr. G. Haupt de composit. Theriacæ. Reg. 1723.
M. Charras de ingredient. Theriacæ Androm.

Electuarium antifebrile.

Conservæ absinthii & cochleariæ, atque pulveris corticis peruviani anaticæ partes cum syrupo fumariæ in electuarium rediguntur, quod etiam ex tempore parari potest, aut potius pro dati casus diversitate magistraliter præscribi.

Vires sunt roborantes, nervinæ, resolventes. Usus quammaxime in febribus intermittentibus.

Dosis ab uncia semis ad duas in die. Ex eodem cum aqua destillata aromatica possunt etiam mixturæ confici.

Electuarium contra vermes.

Drachma una arcani duplicati, radicis jalapæ & valerianæ sylvestris pulveratæ cum quatuor unciis oximellis scillitici in electuarium miscentur.

Vires incidentes, anthelminthicæ, purgantes. Egregia compositio pro pueris mucosis, verminosis.

Dosis ad cochleare coffeanum infantibus, bis vel ter de die; adultis ad cochlearia mensalia.

Electuarium dentifricium.

Pulvis dentifricius ruber cum s. q. mellis rosarum in electuarium redigitur.

Usus ad dentes purgandos, & ad gingivas firmandas.

Electuarium diascordii.

Idem est ac electuarium anodynum.

Electuarium
sive
Theriaca diatesseron (ex 4 pulveribus).

Pulveris radicis gentianæ, galangæ, baccarum lauri, juniperi & myrrhæ anaticæ partes cum duodecim partibus mellis despumati miscentur in electuarium.

Vires stimulantes, roborantes, incidentes carminativæ; in laxitate primarum viarum & morbis inde exortis multum laudabiles.

Dosis ad cochleare coffeanum aliquoties de die.

Electuarium lenitivum, vulgo Tamarindorum.

Pulpæ prunorum libræ tres, roob sambuci libra una, pulveris foliorum sennæ & cremoris tartari ana libra semis, atque sufficiens quantitas mellis despumati miscentur in electuarium; quod etiam ex tempore confici potest.

Vires solventes, leniter purgantes.

Dosis ab uncia una ad duas in die, & plures.

Electuarium pectorale.

Pulveris succi liquiritiæ inspissati, seminum anisi & fæniculi ana uncia una, conservæ hederæ terrestris & urticæ ana unciæ sex, atque syrupi hyssopi q. s. rediguntur in electuarium molliusculum.

Vires leniter incidentes, expectorantes ut vulgo dicunt, in morbis pectoris non inflamatoriis utiles

Dosis. Bolus scrupuli unius, ter vel quater de die superbibendo potum theatum, exhibetur.

Electuarium purgans.

Roob sambuci, ebuli, juniperi ana unciæ quatuor, pulveris radicis jalapæ & arcani duplicati ana sesquiuncia, & syrupi de spina cervina q. s. commiscentur in electuarium; etiam ex tempore, aut magistraliter parandum.

Vires resolventes, purgantes, diureticæ. Usus quammaxime in hydrope.

Dosis ab uncia semis ad unam.

Emplastrum aromaticum, sive stomachicum.

Ex pulvere mastiches & nucis moschatæ, balsamo peruviano, oleo menthæ & terebinthina cum cera citrina & oleo olivarum liquefactione paratur emplastrum.

Vires stimulantes, roborantes. Usus in ventriculi inertia, vomitu, singultu ex consimili causa. Potest etiam ad morbos locales frigidos qualescunque adplicari.

Emplastrum citrinum.

Ex terebinthina, resina pini & cera citrina paratur, atque in tabulas scinditur.

Vires conglutinantes, balsamicæ. Vulgatissimum adhæsivum emplastrum Chirurgorum, ad labia vulnerum unienda.

Emplastrum defensivum rubrum.

Bolus armena, minium, thus, mastix & camphora cum oleo olivarum & cera citrina rediguntur in emplastrum.

Vires roborantes, siccantes. Usus ad defendenda ab aëre ulcera. Bolus facile superfluus.

Emplastrum diabotanon.

Quondam compositissimum, Blondelio inventore. Hodie ex emplastro diachylo cum gummi, admixtis extracto cicutæ & chelidonii camphora & styrace liquida paratur.

Vires iritantes, resolventes, maturantes. Usus in ulceribus frigidis, laxis.

Emplastrum diachylon vide Plumbum.

Emplastrum ad fonticolos.

Ceræ citrinæ, sebo cervino, terebinthinæ & oleo olivarum colliquefactis additur minium, intinguntur que lintea, quæ frigefacta poliuntur pistillo vitreo, & in frusta quadrata scisa servantur.

Vires roborantes, siccantes, uti aliorum plumbatorum. Usus ad fonticulos & ad ulcera manantia.

Emplastrum de Galbano crocatum.

Emplastro diachylo simplici & de meliloto, ceræ citrinæ, Terebinthinæ & Galbano depurato colliquefactis additur pulvis croci austriaci, ut fiat emplastrum, auctore Mynsichtio.

Vires emollientes, resolventes.

Emplastrum de mucilaginibus.

Colliquefactis ~~emplastro~~ diachylo simplici, sebo cervino & oleo olivarum admiscentur pulveres radicis althææ, seminum fænugræci, lini, & pauxillum croci.

Vires emollientes. Usus in tumoribus inflammatoriis, ubi cataplasmata emollientia calida haberi non possunt.

Emplastrum noricum.

Ingrediuntur minium, camphora, acetum, oleum olivarum, & cera citrina. Quoad vires ab aliis ceratis plumbatis vix differt.

Emplastrum oxycroceum.

Galbanum & ammoniacum depuratum, mastix, olibanum, crocus, resina pini, terebinthina & cera citrina in emplastrum rediguntur; quod etiam emplastrum ad rupturas dicitur.

Vires resolventes, roborantes.

Extractum catholicum
potius
purgans drasticum.

Colocynthidum decorticatarum unciæ tres, agarici albi, scammonei, radicis hellebori nigri, ana unciæ duæ, atque aloes unciæ quatuor digeruntur in s. q. spiritus vini ad perfectam extractionem. Facta colatione residuum adhuc in aqua coquitur, atque decoctum hocce cum tinctura priori commixtum inspissatur in extractum. Inventum Poterii spagyricum.

Vires summopere irritantes, drasticæ, anthelminticæ; in summa intestinorum inertia & verminosa colluvie, non apte semper in hydrope laudatæ.

Dosis pro adultis a granis decem ad viginti; in forma pillulari.

Infusum
seu
Aqua angelica.

Cremoris tartari drachma una solvitur in aquæ bullientis unciis octo. Sub ebullitione adjiciuntur,

mannæ electæ unciæ duæ, arcani duplicati drachmæ duæ, succi citri uncia una, & corticum citri drachmæ duæ. Clarificatum & per chartam emporeticam filtratum exhibetur.

Vires purgantes absque magno stimulo.

Dosis pro infantibus ab uncia semis ad unam; adultis à duabus ad tres uncias; etiam partitis vicibus.

Infusum
seu
Aqua laxativa.

Foliorum sennæ drachmæ sex, foliorum scrophulariæ drachmas duas, cremoris tartari drachma una infunduntur in s. q. aquæ fervidæ per $\frac{1}{4}$ horæ. Solutis prius mannæ electæ unciis duabus, colatura unciarum sex exhibetur. Quæ si syrupo quodam edulcatur, habetur sic dictum Hydromel infantum. Præstat recens & ex tempore paratum.

Vires purgantes, priori similes.

Dosis fere eadem quoque.

Liquor
seu
Sal volatilis oleosus.

Vide Sal ammoniacus.

Mel pectorale.

Decoctum specierum pectoralium cum dupla quantitate mellis evaporatur in debitam spissitudinem,

Vires emolientes, relaxantes, atque propterea non absolute pectorales, nec in omni thoracis morbo laudabiles.

Dosis ab uncia una ad duas, forma linctus, electuarii, mixturæ, decocti.

Pilulæ purgantes drasticæ.

Aloes, diagridii, pulveris colocynthidis gummosi ana unciæ duæ, resinæ jalapæ amygdalis subactæ sesquiuncia, atque uncia una extracti hellebori nigri cum s. q. spiritus vini in mafsam pilularem rediguntur.

Vires summe irritantes, drasticæ, anthelminthicæ, illis extracti catholici analogæ.

Dosis a granis decem ad viginti.

Pilulæ Rufi vide Aloe.

Pulvis anodynus vide Papaver.

Pulvis antiepilepticus vulgo Marchionis.

Radicis pæoniæ, dictamni albi, ligni visci quercini, lapidum cancrorum anaticæ partes miscentur in pulverem. Si singulis unciis hujus pulveris addantur viginti quatuor grana castorei, habetur pulvis antiepilepticus cum castoreo, vulgo Rinscheidleri.

Vires antispasmodicæ, in convulsionibus & epilepsia certo intuitu utiles. Non negligantur meliora.

Dosis a granis quindecim ad triginta &c. sæpius de die.

Pulvis antispasmodicus.

Cinnabaris factitiæ pars una, arcani duplicati partes duæ & nitri partes quatuor miscentur in pulverem. Stahliana inventio. Non quadrat cinnabaris cum reliquis, nisi colorem exaltet.

Vires antisthenicæ, refrigerantes, proinde non sæpe spasmis contrariæ.

Dosis a granis decem ad triginta, per se, vel in potu theato.

Pulvis dentifricius.

Cornu cervi ustum, lapides cancrorum, radix ireos florentinæ, cremor tartari, pauxillum caryophillorum & nucis moschatæ miscentur in pulverem, habeturque pulvis dentifricius albus. Addita quinta parte laccæ florentinæ adquiritur pulvis dentifricius ruber.

Usus ad purgandos dentes, gingivasque firmandas. Posterior magis adstringit. Continuatus usus dentibus periculosus, crystallinam crustam deterit, arrodit.

Pulvis fumalis.

Mastix, olibanum & baccæ juniperi anatica portione commiscentur & ruditer contunduntur.

Usus pro suffumigiis & ad tumores frigidos.

Pulvis gummosus
vulgo
Haly.

Amyli, radicis liquiritiæ ana uncia una, gummi arabici & sacchari albi ana unciæ duæ miscentur in pulverem.

Vires nutrientes, obvolventes, in phthisi laudatæ, sed non convenientes in quavis tussi.

Pulvis sternutatorius.

Herbæ majoranæ, serpylli ana unciæ tres, radicis polygalæ uncia una semis commiscentur in pulverem subtilissimum.

Nomen vires designat. Usus in frigidissimis capitis morbis, ubi irritandum, excitandum.

Pulvis contra tussim.

Pulveris gummosi uncia una, radicis ireos florentinæ uncia semis, florum sulphuris drachmæ duæ, croci austriaci drachma una, & tres unciæ sacchari commiscentur in pulverem.

Vires mucilaginosæ, emollientes, leniter incidentes, sub certo respectu expectorantes, nequaquam in omni tussi convenientes.

Dosis a drachma una ad duas in die, vel per se vel in linctu aut mixtura.

Species decocti lignorum vide Guajacum.

Species emollientes.

Conscinduntur, contunduntur & miscentur florum chamomillæ vulgaris, herbæ meliloti, malvæ,

althææ, radicis althææ, seminum fænugræci & lini anaticæ partes.

Nomen de viribus loquitur. Usus pro cataplasmate, fomento, clismate, balneo.

Species pectorales.

Herbæ althææ libræ duæ, radicis althææ libra una, radicis polygalæ liquiritiæ ana libra semis, florum rhæados, verbasci ana unciæ tres conscinduntur & miscentur.

Vires mere emollientes; ergo unice in morbis pectoris sthenicis laudabiles.

Dosis uncia una pro libra aquæ.

A vulgo inepte absque morbi distinctione expetuntur.

Species pro Thée.

Foliorum veronicæ, hederæ terrestris, farfaræ, scabiosæ ana unciæ tres, melissæ, salviæ ana sesquiuncia conscinduntur.

Vires lenissime stimulantes, subtonicæ. Usus contra tussim non stehnicam, præcipue phthisicorum.

Dosis ab uncia semis ad unam pro libra infusi.

Species resolventes pro cucupha & fomento.

Conscinduntur & commiscentur anaticæ partes florum arnicæ & lavandulæ, herbæ majoranæ, marrubii, origani, rosmarini, rutæ, salviæ, scordii, serpylli, & thymi.

Vires stimulantes, resolventes, quodammodo roborantes. Usus ad morbos e debilitate locales, tumores, contusiones &c. forma sacculi, fomenti vinosi aut aquosi, cum vel sine aceto.

Spiritus aromaticus.

Herbæ recentis menthæ uncia una semis, seminum anisi, cinnamomi, nucis moschatæ ana uncia semis, caryophyllorum, cardamomi minoris, radicis angelicæ ana drachmæ duæ in libris quatuor spiritus vini rectificati per 24 horas macerantur, & tres libræ abstrahuntur.

Vires interne stimulantes, excitantes, nervinæ, carminativæ, stomachicæ, sudoriferæ; externe analepticæ, irritantes, discutientes, antisepticæ. Usus in morbis e debilitate innumeris.

Dosis ad drachmam semis & ultra, aliquoties in die; cum saccharo, vel in mixturis.

Spiritus balsamicus
vulgo
Balsamum schauerianum.

Terebinthinæ unciæ tres, galbani unciæ duæ, aloës, benzoës, styracis, mastiches, myrrhæ, olibani ana drachmæ duæ, radicis ireos florentinæ, dictamni albi, imperatoriæ, seminum anisi, fæniculi ana uncia semis, florum chamomillæ romanæ, herbæ absinthii, rosmarini, scordii, rutæ ana drachma una, cardamomi minoris, nucis moschatæ, cinnamomi, castorei ana drachmæ duæ, baccarum lauri uncia una macerantur in spiritus vini rectificati libris quatuor & abstrahuntur libræ tres.

Vires summopere stimulantes, nervinæ, antispasmodicæ, incidentes. Luxuriosa compositio. A vulgo expetitur tum pro usu interno, guttatimque e saccharo aliquoties in die exhibetur in adfectionibus spasmodicis, tum pro usu externo, analeptico scopo & irritante, in apoplexia, animi deliquio, paralysi &c. naribusque admovetur, aut linguæ instillatur, aut temporibus & arteriis superficialibus illinitur. A medicis non adhibetur.

Tinctura aromatica acida
vulgo
Elixirium vitrioli anglicanum.

Radicis calami aromatici, galangæ ana unciæ duæ, cinnamomi, caryophyllorum, nucis moschatæ ana drachmæ tres, corticum citri uncia semis & sacchari albi unciæ tres digeruntur per octiduum in libris duabus spiritus vini rectificati, admixtis spiritus vitrioli unciis tribus. Liquor filtratus servatur.

Vires stimulantes, tonicæ, in laxitate primarum viarum perutiles.

Dosis a guttis quinque ad quindecim e saccharo; pluries in die. Ad mixturas a drachma semis ad duas fere addi potest.

Tinctura balsamica
vulgo
Balsamum Commendatoris.

Aloës, myrrhæ, olibani ana uncia semis, styracis in granis unciæ duæ, radicis angelicæ uncia

una, croci austriaci drachmæ duæ & balsami peruviani uncia in spiritus vini rectificatissimi libris tribus ad perfectam tincturæ extractionem digeruntur, quæ filtrata servatur.

Vires interne stimulantissimæ, externe balsamicæ, antisepticæ.

Dosis a guttis sex ad duodecim. Sed medi- nunquam compositissimo hoc remedio, & nonnisi plebeji eo utuntur. Externus frequentior usus.

Tinctura lignorum vide Guajacum.

Tinctura pectoralis
sive
Elixirium asthmaticum.

Succi liquiritiæ inspissati unciæ tres, spiritus aromatici libra una, spiritus salis ammoniaci anisati libra semis digeruntur ad solutionem succi.

Vires stimulantes, antispasmodicæ, incidentes, in morbis pectoris spasmodicis & frigidis perutiles. Sed compositio fere ex tempore fieri potest, proinde dato casui adhuc melius adaptari.

Dosis a guttis decem ad viginti, ex saccharo, in linctu aut mixtura.

Tinctura stomachica.

Extracti absynthii, gentianæ ana unciæ duæ, alcali vegetabilis uncia semis, tincturæ corticum aurantiorum unciæ quatuor, vini albi generosi libræ quatuor commiscentur & digeruntur.

Vires tonicæ; vulgo in anorexia, dispepsia, aliisque ventriculi e laxitate morbis, itidem in febribus intermittentibus post gastricas evacuationes celebres.

Dosis drachma una vel duæ, aut cochleare mensale.

Tinctura visceralis.

Extracti absinthii, cichorei, trifolii fibrini, martis cum succo pomorum ana drachmæ tres, tincturæ corticum aurantiorum, spiritus nitri dulcis ana unciæ duæ, aquæ corticum citri unciæ octo macerantur ad extractorum solutionem.

Vires eædem cum priori, ast intensiores, debilibus laxis, cachecticis, chloroticis, mucosis, verminosis proficuæ.

Dosis a drachma semis ad unam & ultra.

Unguentum basilicum. (regium)

Cera citrina cum sebo cervino, resina pini, pice nigra, terebinthina & oleo cocto.

Vires emollientes, leniter irritantes, subpurantes, purificantes. Usus ad ulcera subpuranda.

Unguentum contra vermes loco de Arthanita.

Unguentum juniperi cum cera citrina, felle tauri inspissato, aloë & oloë destillato tanaceti commiscentur.

Vires irritantes, purgantes, anthelminthicæ. Pueris laxis, mucosis, verminosis, medicamina renuentibus drachma semis vel integra abdomini inungitur; non sæpe optato effectu.

Unguentum digestivum.

Terebinthina, oleum coctum, pulvis mastiches, myrrhæ & olibani miscentur in unguentum.

Vires & usus prouti basilici unquenti; sed magis irritat.

Unguentum fuscum & album

vide Plumbum.

Unguentum nervinum.

Unguentum juniperi, cera citrina, oleum lauri & parva quantitas olei destillati anethi, juniperi, menthæ, rosmarini & terebinthinæ miscentur in unguentum.

Vires stimulantes, excitantes, nervinæ, antispasmodicæ, resolventes. Usus ad partes debiles.

* * *

Reliqua composita pharmaca, quæ ab ingrediente quodam principali aut nomen, aut vires desumunt; in priori capite sub simplicium præparatis occurebant.

Si quis autem plures celebrium compositionum præscriptiones desideraret; adeat dispensatoria varia tum publica, tum & privata. Posteriora erunt:

G. Melichii dispensatorium medicum. 12 Frft. 1601.
C. F. Brechtel nomenclatura pharmaceutica. Fol Norimb. 1605.
A. Hornung cista medica. 4to Norimb. 1611.
P. Gruling florilegium chymico medicum. 12. Lips. 1631.
J. C. Schröder pharmacopæa medico physica. 4. Ulm. 1641.
— — — — — Arzneyschatz. Fol. Nürnb. 1748.
H. Mynsichtii thesaurus & armamentarium medico-chymicum. Hamb. 1631. L. B. 1638. &c.
— — — — — deutsch. Stuttg. 1725.
J. Zwoelfferi pharmacopæa regia, s. dispensat. locupl. & absolutiss. Norimb. 1675.
Pharmacopæa Bateana. Lond. 1691.
N. Lemery pharmacopée universelle. Par. 1697. 1754. Amst. 1748.
Th. Fulleri pharmacopæa extemporanea. Lond. 1701. 1705. Laus. 1761.
J. Chr. Sommerhoff Lexicon pharmaceutico-chymicum. Fol. Norimb. 1701.
J. J. Manget bibliotheca pharmaceutica. Gen. 1703.
M. B. Valentini Musæum musæorum. Frft. 1704.
J. Guincy pharmacopæa officinalis & extemporanea Lond. 1717.
J. B. Boyer codex medicamentarius. 4. Par. 1758. Frf. 1760.
W. Lewis neues allgemeines Dispensatorium. a. d. Engl.
G. Kleinii selectus rationalis medicaminum. Frft. 1760.
Gillet Diss. de medicamentis compositis. Monsp. 1761.
D. W. Trilleri Dispensatorium pharmaceuticum universale. 4. Frf. 1764.
Ph. L. Wittwer idea Dispensatorii. 4. Arg. 1774.
J. Plenk pharmacia chirurgica. Vien. 1775. 1791.
J. Ph. Vogler pharmaca selecta. Wetzl. 1777. 1788.
Ph. J. Piderit pharmacia rationalis. Cass. 1779. 1782. 1791. c. Suppl.

J. R. Spielmann pharmacopæa generalis. Arg. 1783.
A. Fröhlich diſs. de medicam. composit. Vien. 1784.
J. H. Pfingsten deutsches Dispensatorium. Stuttg. 1783
S. Largi composition. medicam. Arg. 1786.
Chr. Fr. Reuſs dispensator. universale. Arg. 1786. c. Suppl. II.
G. H. Piepenbring. pharmacia selecta. Erf. 1792. II. Tom.
Chr. Mayr dispensatorium universale. Vien. 1798.

CAPUT UNDECIMUM.

DE FORMIS MEDICAMINUM.

Pro diversitate morbi, ægri, ætatis, quin & pro ipsius pharmaci qualitatum diversitate, medicamina diversa forma exhibentur & adplicantur; tum interne, tum externe.

Medicamina interna vocantur, quæ in ventriculum deglutiuntur. Alio quocunque modo adplicata externa dicuntur.

A. Medicamina interna.

Medicamina interna vel sicca sunt, vel humida.

a. Medicamina Sicca.

Ad sicca medicamina referuntur pulveres, pilulæ, pastæ, tabulæ, taleolæ, trochisci &c.

I. Pulveres.

E corporibus medicatis friabilibus contundendo, triturando & percribrando pulveres parantur. Sunt vel grofso modo contusi, inser-

viuntque tunc infusionibus, decoctionibus aut externo usui. Pro usu autem medico interno, aut & pro ophthalmicis externe, substantiæ quam subtilissime comminuendæ sunt, ita ut intra dentes minime strideant, & particulæ nec visu, nec sensu distinguantur. Qui pulvis tenuissimus alcoholisatus nuncupatur; in pyxide lignea per linteum duplicatum cribrandus, cavendo ne pollen acrium oculos & nares operatoris infestet.

Materies pulverum est omne corpus, quod contusione aut trituratione comminui potest; ergo metalla, terræ, sales sicci, vegetabilium partes variæ exsiccatæ, ligna, radices, cortices, semina, flores & folia sicca, succi vegetabiles inspissati, sicci, gummata, resinæ, animaliumque partes consimiles, dummodo humiditatem non adtrahant & diffluant, aut a minimo calore conglebentur. Ipsæ tenaciores & humidiores substantiæ in pulveres comminui possunt, si antea vel leni calore arescunt, vel glutine quodam impastantur & exsiccantur. Denique etiam alia corpora minime friabilia pulveribus eousque addi possunt, quousque pulverulenta forma exinde non immutatur. Sic olea stillatitia, camphora, spiritu vini irrorata, moschus, castoreum, extracta varia &c. superaddito alio apto corpore in pulveres rediguntur. Sapo sexduplam alterius partem requirit, ut bene pulveretur; v. g. infantibus cum lapidibus cancrorum a nonnullis præscribitur.

Ea autem corpora medicata præcipuo forma pulveris exhiberi merentur, quorum virtus in tota, ut ajunt, substantia residet, nulloque fere pharma-

ceutico processu extrahi potest; v. g. cortex peruvianus, rheum scopo purgante, ipecacuanha, moschus &c. Unde regula exoritur, illorum corporum pulveres, quorum virtus medica facile avolat, nunquam in magna copia parandos esse; adservatione enim diuturna corrumpuntur, vel minus efficacia redduntur.

Dosis pulverum interne sumendorum nec sit infra grana octo vel decem, nec drachmam unam excedat; alias difficulter ab ægris adsumitur. Voluminosi & nauseosi præcipue evadunt pulveres, qui ex aqua admixta nimis intumescunt, uti v. g. flores pulverati. Exacte & ad pondus determinatur dosis illorum pulverum, qui in parva dosi maxime efficaces sunt; minus eracte, ad cuspidem cultri vel cochleare coffeanum, si sit pulvis minorum virium.

Pulveres sunt vel simplices, vel e pluribus ingredientibus compositi. Posteriores sæpe in plures doses dividendi.

Dum adsumuntur pulveres, repentina aquæ adfusione inundari non debent, quia non æquabiliter aquæ miscentur, sed cauta adfusione & trituratione commisceri debent. In mixturis præscripti, repetitam semper lagenæ concussionem requirunt.

Infantibus pulveres vix præscribantur. Minime etiam summe debilibus, & ventriculo languido laborantibus. Non tantum quod difficulter deglutiantur & digerantur, sed etiam mechanico suo stimulo irritabilibus subjectis molesti esse possunt. Nec præscribantur illis, qui ex idiosyncrasia illos non ferunt. Sunt enim qui ex omni pulvere adsumto nauseant vel vomunt.

II. Pilulæ.

Pilulæ (catapotia veterum) sunt medicamentum internum, in globulos ciceris circiter magnitudinis efformatum. Pondus unius pilulæ sit a grano uno, ad grana tria.

Materiem subpeditant corpora medicata in parca dosi activa, in aëre non diffluentia:

1. tenacia, cohærentia, per se, aut addito pauxillo aquæ vel spiritu vini facile tractabilia, prouti sapones, extracta summe spissa, resinæ, gummiresinæ &c. quæ posteriores in mortario calefacto tractatæ facile in pilulas formari possunt. V. g. ℞. Asæ fætidæ drachmas duas, f. l. a. pil. gr. duorum.

2. sicca pulverata ope vehiculi excipientis in massam tractabilem transmutanda. Excipiens autem varium est, pro diversitate corporum constituentium, eorumque consistentia; hinc syrupus, mel, balsamum, terebinthina, mucilago, tinctura, spiritus &c. V. g. ℞. Pulv. Rhei alcohol. drachmam unam mel. pur. q. s. f. l. a. pil. gr. trium.

3. mollia subfluida, addito corpore sicco aut pulvere tractabilia reddenda. V. g. ℞. Extract. Cicut. drachmas duas, pulver. herb. Cicut. q. s. f. l. a. pilul. granor. duorum.

Qui ad hasce regulas non adtendunt, magnos errores in præscribendis pilulis committunt, sæpiusque causant, ut ab ipso pharmacopæo ineptum aliquid ad massam tractabilem obtinendam substituatur. Difficillimum est cum extractis justam pilularem massam præscribere, quoniam variæ sæpe sunt consistentiæ.

Pilulæ jam formatæ, ne inter se cohæreant, pulvere quodam consperguntur, vel linguæ grato, vel in eundem cum medicamine scopum collimante, vel penitus indifferenti, insipido, inodoro, qualis lycopodii. Vix convenit mos, pilulas lamellis auri vel argenti obducere, quoniam haud raro integræ & non solutæ per alvum eliminantur tales pilulæ.

Dosis pilularum est ab una ad sex, bis vel ter in die. Major quantitas vix adsumitur, quia ventriculum molestet. Universim pilulæ non conducunt ventriculo debili, & maxime solummodo in chronicis malis præscribuntur.

Dantur subjecta, quæ pilulas non sumunt, quia deglutire illas nesciunt. Ita infantes. Alii obvolvunt eas lamina pastacea, aut cerasis, prunis, aut multam aquam superbibunt, eliduntque tali modo vires pilularum. Hisce melius alia medicaminum forma exhibetur.

III. Condita.

Pastæ, tabulæ; taleolæ, trochisci, &c. sunt medicamina solida sicca, quæ in officinis jam parata prostant, atque ex tempore, aut magistraliter vix præscribuntur. Ab ægris in ore volvuntur, & dum deliquescunt, deglutiuntur. Simili modo nitro tabulato, sale prunellæ &c. utuntur ægri.

b. Medicamina humida.

Sunt vel spissa, vel fluida. Prioribus adnumerantur electuaria, conservæ, linctus, posterioribus infusa, decocta, mixturæ, guttulæ, succi, emulsa.

I. Spiſsa.

1. Electuaria.

Electuarium est medicamentum internum spiſsum, consistentiam habens syrupo craſsiorem, ita ut portiuncula ejus in cultro vel spathula exemta minime a lateribus defluat. Distinguitur crassum & molle.

Si materies excipienda ex levioribus & gravioribus mixta, consistentiam postulat spiſsiorem, ne ingredientia graviora nimis cito fundum petant; tunc medicus præscribit electuarium craſsum. Hujus electuarii craſsioris portio, in globulum mediocrem ponderis circiter drachmæ unius formata, ut commode sine ulla masticatione deglutiri poſsit, bolus (buccella) vocatur. Præscribitur, ut sumatur semel, bis aut ter de die. Non convenit autem hæc forma debilibus, febricitantibus, iis, qui mente destituti sunt; non inadsuetis, non pueris.

Electuaria mollia, mellis circiter consistentiæ, sunt vulgatiora, quia & facilius ab ægris adsumuntur, & a bonis practicis corpora metallica & ponderosa in electuariis non libenter præscribuntur. Horum dosis quidem diversa est pro ratione ingredientium; sed vulgo ad cochleare coffeanum, vel & ad commune mensale sæpius in die exhibentur.

Materies excipienda pro electuariis sunt pulveres; materies autem excipiens syrupi, mel, conservæ, pulpæ, roob, extracta, quæ omnia solertiſsima trituratione & agitatione debent permisceri, ut maſsa evadat perfectiſsime æqualis miscelæ.

Aliquid autem in præscribendis & parandis electuariis pharmacopæo relinquendum est; & quidem optime syrupi quantitas ad subigendum necessaria. Præscribitur ergo de syrupo aut melle q. s. ut fiat electuarium crassum vel molle.

Monendum adhuc est, electuaria in magna quantitate præscribenda non esse, quia molliora libenter fermentationem subeunt; crassiora autem exsiccantur. Nec præscribantur talia in electuariis; quæ tempore iterum a se invicem separantur, uti olea, balsama &c.

2. Conservae.

Flores & folia recentia saccharo condita conservae audiunt, fructus autem simili modo adservati confectiones. Utrumque præparatum magistraliter nunquam præscribitur, sed in officinis jam habetur. Dosis ad cochlearia coffeana.

3. Linctus.

Linctus, eclegma, looch est medicamen internum consistentiæ quidem fluidioris quam electuarium, sed spissioris tamen, quam syrupus. Paratur ex mucilaginibus, gelatinis, oleis unguinosis, syrupis & saccharo, aut melle.

Præscribitur in morbis oris, faucium, vel & asperæ arteriæ. Dosis est arbitraria, nec certo tempore definita. Sumitur fere ad libitum parvum cochleare, in ore tenetur, & lente deglutitur.

II. Fluida.

1. Infusa.

Infusa sunt medicamina interna, extractis e pharmaco, mediante menstruo liquido viribus impræ-

gnata, filtrata, & utplurimum edulcata. Sunt vel calida, vel frigida.

α. Calida.

Calida infusa (potus theati) parantur adfusione aquæ fervidæ aut calidæ ad corpus infusioni destinatum, vase ut plurimum clauso. Peracta debita solubilium partium extractione filtrantur, atque plerumque saccharo edulcorantur. Frequentissime domi parantur, & solummodo species pro infusis præscribuntur. Nonnunquam tamen etiam ex officinis petuntur.

Materiem infusorum constituunt herbæ, flores, radices & omnia illa corpora, quorum medicata vis in volatili proprietate hæret, aut aqua facile extrahi potest. Nam plures dantur aliæ substantiæ principio volatili penitus destitutæ, quæ tamen potius infunduntur, quam decoquuntur, quia vires medicatas in aquam calidam facillime dimittunt; v. g. flores althææ, verbasci, rheum, folia sennæ &c.

Si bina aut plura ingredientia necessaria sunt, quorum alterum decoctione, alterum vero infusione indiget, peracto prius decoctionis negotio infusio institui debet. V. g. ℞. Radic. Gram. Uncias duas, coqu. c. s. q. aqu. per dimid. hor. Dein adde Fol. sennæ drachmas duas, inf. adh. v. cl. per quadr. horæ.

Quantitas aquæ pro infusione sumendæ a medico quidem ipso definiri deberet, quia autem subponitur, pharmacopæum hanc proportionem aquæ ad

corpus infundendum probe scire, hinc nonnisi q. s. aquæ præscribitur, colaturæ autem pondus determinatur. V. g. ℞. flor. samb. drachmas duas; inf. in sufficiente quantitate aquæ vase clauso per quadr. horæ. Colatura unciarum octo D. ll.

Quantitas ipsius infusi (uti & decoctorum) talis esse debet, quæ intra nychthemerum, & æstatis tempore intra decem horas absumatur, cum alias facile corrumpatur.

Dosis determinatur ab unciis duabus ad uncias quatuor, vel a vasculo dimidio ad unum usque, omni bihorio, trihorio, aut omni hora. Si tota quantitas una vice absumenda sit, dicitur haustus. Celebratiores tales sunt v. g. infusum laxativum, hydromel infantum &c. ad uncias duas vel tres pro unico haustu sumendum.

Infusum sapore, odore & colore se commendans, claretum dicitur.

β. Frigida.

Infusa frigida sunt aquosa vel vinosa.

Infusa aquosa frigida, maceratione potius quam infusione corporum medicatorum in aqua parantur, quorum vires medicatæ in frigidam aquam facillime transeunt, uti e. g. rhei, ligni Guassiæ &c.; aut quorum vires adeo sunt volatiles, ut ex minimo calore abigantur; uti v. g. in cortice peruviano. Sed infusio frigida diutius quam calida protrahi debet, indigetque utplurimum duodecim vel & viginti quatuor horis. Etiam quantitas corporis medicati relativa ad aquam major esse debet, quam in calidis infusionibus

Infusa vinosa, vina medicata cum vino, loco aquæ parantur. Tali modo optime extrahuctur vires norporum, quorum virtus in volatili, aut in acri, aut resinoso principio residet; quæ virtus stimmulo vini insimul exaltatur. Parantur autem frigide, ne vini spiritus calore abigatur. Quodsi autem aqua & vinum simul pro menstruo necessaria essent, consultius est primo aqua calida infusionem peragere, infusoque paulisper refrigerato vinum adfundere.

Huc etiam spectant cerevisiae medicatae et aceta medicata.

2. Decocta.

Decocta sunt medicamina interna, in quibus medicatorum corporum vires protractiori aquæ bullientis calore extractæ hærent. Sæpius decocta etiam domi parantur, & nonnisi species pro illis ex officina præscribuntur.

Decoctioni aptæ sunt substantiæ, quarum vires resident in principio gummoso, mucilaginoso, gummiresinoso, salino, saccharino, saponaceo, amaro & adstringente. Minime vero illæ, quæ acri principio donatæ aut volatili aut quæ aqua ebulliente decomponuntur.

Materies ergo decoctis inserviens multum varia est. Inserviunt autem e vegetabilibus vix non omnes partes, radices, cortices, ligna, stipites, herbæ, flores, fructus, semina; solidæ animalium quoque partes, ut rasura cornu cervi, eboris &c.; quin & mineralia, uti antimonium, mercu-

rius vivus &c., nescio quo jure, a nonnullis decoquuntur. Materies excipiens est aqua, lac, aut serum lactis.

Proportio inter ingrediens & excipiens, multum quidem variat, prouti in historia medicaminum simplicium semper adnotatum fuit; attamen in genere venit pro libra liquidi uncia plerumque una de speciebus, corticibus, radicibus, uncia semis de herbis, drachmæ duæ de floribus & seminibus. Dantur tamen plurimæ exceptiones, sic e. g radix salep tantum ad drachmam unam, radix graminis ad duas, tres & plures uncias præscribi potest, ut quasi extractum liquidum habeatur. Præter dosin ingredientis exprimatur quoque ejus prævia præparatio, quæ est rasura, contusio, maceratio &c.

Copia liquidi pro decoctione sumendi utplurimum quidem pharmacopæo relinquitur, sed tempus coctionis & quantitas colaturæ exacte determinari debet. Protractior enim coctio vires medicaminum quandoque immutat, quemadmodum liquiritiæ, rhei, quassiæ, dulcamaræ &c. Nonnunquam autem etiam copia liquidi adsignatur, & determinatur coctio ad remanentiam tertiæ aut dimidiæ partis, præcipue si corpora diutius docoquenda præscribuntur uti v. g. guajacum.

Dantur casus, ubi plura ingredientia pro decoctione insimul præscripta, minime æquali tempore decoqui possunt, uti v. g. althæa aut salep cum cortice peruviano. Tunc ergo unum alteri superaddere oportet. E. g ℞. Cort. peruv. unciam unam, coqu. in s. q. aqu. r. cl. per med. hor. Dein adde rad. salep, drachmam unam; coqu. adh. per quadr horæ.

Neque negligendum est ut exprimatur modus coquendi, an vase clauso, vel non clauso; colatura an exprimenda, fortiter exprimenda; clarificanda, vel decantatione depuranda &c.

Nonnulla decocta perse exhibentur, aliis vero adhuc extracta, sales, syrupi &c. adduntur. Decocta cerealium vulgo ptisanæ vocantur.

Quantitas decocti medicati ea esse debet, ut uno die absumatur, hinc non ultra libram unam semis. Si vero inserviat pro potu ordinario, non ultra libras quatuor.

Dosis decocti singula vice absumendi determinatur, ut sumat æger bis, ter &c. in die, aut omni bihorio, trihorio vasculum unum vel dimidium. Vires ventriculi digerentes, hic perpendendæ veniunt.

3. Mixturæ.

Mixturæ sunt medicamina interna fluida ex pluribus composita, quæ ex tempore facile commisceri possunt. Requiruntur præcipue illis in casibus ubi periculum moræ decoctionem aut infusionem prohibet. Libenter etiam præscribuntur delicatulis, debilibus, & qui difficulter deglutiunt. Quodsi colore grato, sapore & ordore mixtura se commendet, restauret simul aut sitim fallat, julapium vulgo vel julepus dicitur. Mixtura parva ad semel sumenda haustus audit.

Materiem sistunt medicamina, quæ in minori dosi efficacia sunt, tum sicca, pulveres, sales, tum mollia omnia, uti electuaria, extracta, roob, pulpæ, syrupi, tum fluida, tincturæ, spiritus, aquæ destil-

latæ; imo quodam modo infusa & decocta. Negligantur ingredientia valde ponderosa & cito fundum petentia.

Præstat in exponendis ingredientibus ille ordo, quem pharmacopæus observare debet in mixtura componenda. Primo igitur sicca & spissa, deinde fluida ponantur. Placent formulæ Störkianæ. V. g. ℞. Nitr. pur. unciam semis, syrup. alth. uncias duas, aqu. destil. simpl. uncias octo, liqu. anod. min. guttas quindecim. M. D.

Quantitas mixturæ debet esse talis, ut intra viginti quatuor horas absumi possit, tum ob periculum corruptionis, tum quia pro diversa morbi modificatione sæpius quidquam vel addi vel demi debet; unde tam in acutis, quam in chronicis morbis frequentiorem usum habent. Optima quantitas est ab unciis quinque ad octo vel decem, & nunquam ultra libram.

Dosis est cochleare unum vel alterum omni hora, vel medium vasculum omni bihorio, trihorio &c.

4. Guttulæ.

Mixtura concentrata alias etiam sub nomine guttularum venit.

Materiem sistunt extracta, tincturæ, spiritus, aquæ destillatæ.

Quantitas unius præscriptionis solet esse uncia semis ad unam usque.

Dosis communiter ad guttas viginti, triginta, bis, ter &c in die. Nunquam excedat guttas centum. Adsumuntur vel ex frustulo sacchari, vel ex aquæ cochleari.

5. Succi.

Succi expressi sunt medicamina interna liquida, ex plantis recentibus, foliis radicibusve expressi. Non quovis anni tempore, sed solum verno præscribuntur; aliis enim temporibus conservæ succis substituuntur.

Plantæ huic scopo inservientes sunt præcipue succulentæ, saponaceæ, antiscorbuticæ, & harum solummodo recentes, v. g. taraxacum cum toto, herba cichorei, endiviæ, portulaccæ, beccabungæ, nasturtii, çhærophylli, acetosæ, acetosellæ &c.

Modus præscribendi optimus est, si jubeamus radicum aut herbarum recipere, quantum sufficit, ut exprimatur inde succus unciarum tot vel tot.

Dosis consueta est ab unciis tribus ad quatuor. Exhibentur vel soli, vel cum coindicatis, cum lacte, sero lactis, syrupo &c.

Debili ventriculo non præscribantur, aut saltem non jejuno, sed post adsumtum jentaculum, partitis vicibus.

W. A. G. Manniske Diss. sistens nonnulla, quæ ad usum med. succorum veget. recent. spectant. Jen. 1791.

6. Emulsa.

Emulsa sunt medicamina interna, trituratione mediante menstruo liquido ex corporibus oleoso — mucilaginosis obtenta. Præscribuntur scopo refrigerante, demulcente, emolliente.

Parantur ex nucleis & seminibus oleum unquinosum largientibus, ex amygdalis, seminibus cucurbitæ, papaveris, canabis &c. Horum quantitas et quantitas, mate-

riæ excipiendæ quæ est aqua simplex, aut serum lactis &c. a medico præscribente deter minari debet. Plerumque requiruntur octo partes fluidi ad unam partem materiæ emulgendæ. Proced endimodus autem relinquitur pharmacopæo, ut fiat lege artis emulsum.

Parato additur saccharum, syrupus, camphora, nitrum &c. aut quod indicatum est; nunquam autem tale corpus, quod saporem aut colorem mutaret, aut totum decomponeret.

Quantitas emulsorum sit ad libram unam alteramve; ut vasculatim consumatur. Non serventur ultra diem, & æstate neque tam diu, quia corrumpuntur.

Olea unguinosa, resinæ, gummiresinæ, balsama nativa, ast addito medio conjunctivo, inprimis mucilagine gummi arabici, vel tragacanthæ, vel vitello ovorum largiuntur etiam emulsiones spurias.

B. Medicamina externa.

Etiam externe adplicanda remedia sunt vel sicca, vel humida.

a. Sicca.

Siccis adnumerantur masticatoria, dentifricia, sternutatoria, fomenta sicca, suffitus, globi, pulveres & alia plura quoad formam innominata.

1. Masticatoria.

Masticatoria sunt corpora sicca duriuscula, eousque & eo plerumque scopo in ore volven-

da & masticanda, ut saliva aliique humores adliciantur, partesque oris irritentur, aut halitus emendetur.

Inserviunt huic scopo non solum simplicia nonnulla, uti grana mastiches, radix pyrethri, caryophylli, cortex cinnamomi, sed possunt etiam variæ ex hisce mafsæ componi.

D. Fr. Helius de medicamentor, mastica, usu & præstantia. Erl. 1766.

2. Dentifricia.

Corpora, quibus dentes ut purgentur, et gingivæ ut firmentur perfricari solent, dentifricia vocantur. Adhibentur quidem utplurimum pulveris forma; posfunt tamen etiam forma electuarii adplicari.

Materiem sistunt pulveres in officinis jam eo scopo prostantes; posfunt tamen etiam alia, tum simplicia, tum magistraliter composita præscribi, dummodo talia non sint, quæ substantiam dentium crystallinam arrodunt. Præplacent absorbentia cum aromatibus, moderato mechanico tritu simul utilia.

3. Sternutatoria.

Pulveres, nicotianæ modo naribus adtracti, ut sternutationem artificialem causent, concutiant & mucum moveant, sternutatorii vocantur. Quo sicciores, eo altius penetrant. Fiunt ex helleboro, majorana, saccharo, calomele, vitriolo albo &c. aut præscribitur pulvis sternutatorius Disp. nostri.

4. Fomenta sicca.

Pulveres aut species siccæ in sacculo inclusæ & partibus morbosis impositæ, fomenta sicca dicuntur. Adplicantur scopo roborante, stimulante, discutiente &c. ad tumores oedematosos, erysipelaceos.

Materies fomenti sicci est omne siccum tali qualitate medica donatum, ut morbis localibus adplicari & mederi valeat; pulveres, farinæ, flores, herbæ, species, cum vel sine camphora. Imo cineres, sal communis, avena &c. hunc in scopum a plebejis adhibentur.

Hæcce mox linteo quadruplicato tantum involvuntur, mox cum illis sacculi, pulvinaria, cucuphæ formantur; immo & integra pulvinaria pro cruribus oedematosis, aut & lectuli integri pro infantibus rhachiticis, & hydropicis sic parantur. Utplurimum calefiunt prius, & dein externe illis camphora adfricatur; aut fumigantur, antequam corpori adplicentur.

5. Suffitus.

Adplicatio fumi medicati ad totam corporis superficiem, vel, quod frequentius contingit, ad unam ejus partem, suffitus, fumigatio audit. Instituitur scopo siccante, roborante, stimulante, discutiente, aërem corrigente. Suffitus cinnabarinus ad curanda mala venerea in Moldavia solum frequens.

Materiem pro suffimigio sistunt corpora quævis inflammabilia, fumum medicatum spar-

gentia; præcipue resinæ, thus, succinum, benzoë, mastix, ligna & baccæ juniperi &c. Indeterminata horum quantitas prunis injicitur, pannoque laneo vel lineo fumus excipitur, fovendis aut fricandis partibus inserviens.

Fumus nicotianæ in asphyxiis, pertinacissimis alvi obstructionibus, herniis incarceratis &c. ubi inflammatio abest, & vehemens irritamentum requiritur, forma clismatis adplicatur.

C. W. Wedel de suffimentis Jen. 1676.
J. H. Schulze de suffiment. Hal. 1741.

6. Globi, pulveres &c.

Medicamina externa, quæ sub forma & nomine globorum in officinis adservantur, sunt præcipue globi ad erysipelas & martiales. Priores chartæ illiti erysipelati vulgo imponuntur; posteriores scopo vulnerario aut roborante, fomentationibus humidis & balneis adduntur.

Etiam pulveres externo cuidam corporis loco inspergendo inserviunt, vocanturque adspergines. Sic ad vulnera, ulcera; ossa nudata, cariosa, partes gangrænosas, multiplici scopo, ad excoriationes sicandas, ad hæmorrhagias sistendas, ad carnes luxoriosas consumendas &c. insperguntur.

Lapidum nomine infernalis & causticus lapis in usum externum veniunt.

Denique plura alia sicca externe remedia adhibentur, quæ a forma nomen non desumunt, uti v. g. frustula corticis mezerei, &c.

b. Humida.

Sunt vel mollia, vel vere fluida.

I. Mollia.

Hisce adnumerantur emplastra, cerata, subpositoria, unguenta, linimenta, cataplasmata.

1. Emplastra.

Emplastra sunt medicamina externa in frigore sicca & digitos non inquinantia, digitis vero calidis tractata (malaxata) iis adhærentia, mollia, ductilia, tenacia & adeo glutinosa, ut linteo vel alutæ illita, facille cuti adhærescant. Inserviunt scopo adhæsivo vulneribus uniendis & tegendis, scopo medicante vario, tumoribus emolliendis, maturandis, resolvendis. Sæpe cutis etiam sana ab emplastris pruritu, pustulis, erysipelate adficitur.

Consistentiam emplastra adquirunt a cera, calcibus plumbi, extractis &c. ductilitatem ab oleo, vim adhæsivam a terebinthina, pice, alia resina, ichtyocolla.

Magistraliter vix præscribuntur, quia sufficientia in officinis prostant.

Magnitudo & figura emplastri ope spatulæ linteo, alutæ vel telo sericeo illiti a loco, cui imponi debet, determinatur.

J. H. Schulze de Emplastor. usu & abusu. Hal. 1734.

2. Cerata.

Cerata sunt emplastra mollioris consistentiæ, unguentis tamen spissiora. Sola proportio ingredientis olei major esse debet, ac in emplastris. Usus fere idem.

3. Subpositoria.

Medicamina externa solida mollia, globuli vel glandis forma ano inmittenda, subpositoria dicuntur. Adhibentur vel ad alvum exonerandam (prouti passim frustulum saponis oleo illitum), vel adcurandos morbos intestini recti. Dum vaginæ induntur, pessi vel pessaria vocantur.

4. Unguenta.

Unguenta sunt medicamina pinguia, mellis spissi consistentiam habentia, ceratis molliora.

Materies pro unguentis est axungia, vel oleum cum cera, superadditis ingredientibus necessariis.

Adplicantur vel ope lintei, torundæ, plumaceoli &c., vel mediante manu parti illiniuntur. Magis & facilius in cutem penetrant, quam emplastra & ceratra; unde ad tumores emolliendos, resolvendos, ad ulcera vel vulnera in subpurationem ducenda, aptiora censentur.

Constat nuperrimis experimentis Cl. Chiarenti & Brera medicamina quæcunque humore quodam animali subacta, cum axungia in unguentum formata atque externe corpori (per anatripsin) illita, eosdem fere effectus exserere, ac interne adsumta.

Fr. Chiarenti lettera sul nuovo metodo di somministrare l'opio esternamente perfrizione. Fior 1798.
A. Brera Anatripsologie oder Lehre von den Einreibungen. Wien 1800. 2. Th.

5. Linimenta.

Linimenta sunt unguenta molliora, diffluentia, mediæ fere inter oleum & unguentum spissitudinis. Materies hinc eadem ac unguenti, sed olei proportio major.

Adplicantur partem adfectam obliniendo, promptiusque ac unguenta penetrant; præcipue frictione accedente. Ambo diu adservata rancida fiunt, hinc magis irritant, quam emolliunt.

6. Cataplasmata.

Cataplasmata sunt massæ pultiformes, quæ fomenti (epithematis) adinstar parti morbosæ externe adponuntur. Varias denominationes adquirunt.

Pastæ scopo depilatorio, ad nævos quoque, herpetes &c. sanandos, partibus externis illiniuntur, atque dum siccescere incipiunt, aqua calida iterum abluuntur. Sic sapo cum calce viva.

Epispastica sunt species cataplasmatis, ex stimulantibus atque humores adtrahentibus remediis parata. V. g. fermentum panis cum aceto & sale communi. Quodsi talibus acuantur, quæ cutis inflammationem aut ruborem causant, armoracia rasa &c. rubefacientia dicuntur; sinapismi vero, si farina sinapis ingrediatur.

Cataplasmata in vulgari sensu, partibus inflammatis emolliente aut maturante, resolvente aut discutiente scopo adponuntur. Coquuntur vegetabilia indicata, v. g. mica panis albissimi, aut semina lini contusa, aut species emollientes pro ca-

taplasmate in pulverem contusæ &c. cum s. q. lactis aut aquæ in consistentiam cataplasmatis; quod calidum (ambustionem tamen cavendo), linteo duplicato inclusum parti morbosæ adplicatur. Consistentia ergo talis esse debet, ne a parte diffluat.

Efficacius cataplasmata agunt, quam fomenta, quia diutius calorem conservant.

II. Fluida.

Fluidis externis remediis adnumerantur balnea, fomenta humida, collutoria, injectiones, clismata.

1. Balnea.

Balnea alluendo externam corporis superficiem opem præstant. Sunt vel aquosa, vel vaporosa, vel & sicca.

a. Aquosa tum calida, tum frigida, mox simplicia ex aqua dulci parantur, mox varie medicata, mineralia, vinosa, aromatica &c. Ex officinis pharmaceuticis vix petuntur, ac proin magis Diæteticam spectant. Attamen quandoque species, herbæ aromaticæ, hepar sulphuris &c. in officinis decoqui possunt, atque balneo domi jam jam parato infundi.

Adplicantur balnea quadruplici modo. Ablutione simplici ope spongiæ, frictione humida, aut & inspersione mera in delicatulis & inadsuetis, qui frigus repentinum ferre non possunt. Insessione, toto trunco cum extremitatibus insidente, vel partiali solum demissione in semicupia, pedilu-

via &c. Immersione (Stürzbad), in frigidam præcipue aquam, ubi motus corporis simul conjunctus est. Denique embrocatione, (Tropfbad), si aqua ex altitudine guttatim in partem delabitur.

Vaporosa balnea plus præstant, potentius penetrant & emolliunt quam calida & tepida.

V. Sicca balnea vix non extra omnem usum hodie sunt. Huc spectant balnea arenæ, cinerum calidorum, salis marini, cui pedes immerguntur; balnea terræ & fimi equini, quibus homines ad caput usque obruuntur, balneum aëreum si quis nudus aëri exponitur, insolatio, sudatorium (Schwitzstube) &c.

Hæcce omnia huc stricte non spectant, atque in Diæteticis pertractabuntur.

2. Fomenta.

Fomenta (epithemata) humida sunt liquores medicati, qui ope lintei quadruplicati partibus morbosis superimponuntur; calida, vel frigida.

Calidis utplurimum inserviunt decocta vel infusa, aqua calida ipsa, vel cum lacte, sapone &c. Adplicantur utplurimum scopo emolliente, resolvente. Etiam vaporosa fomenta dantur.

Frigidis fomentis aqua frigida, vel & frigidissima basin dat, cui adduntur sales medii, aut & acida vitrioli, aceti &c., tuncque oxicrata dicuntur; scopo refrigerante, discutiente, repercutiente ut ajunt, adplicanda. Epithema ad frontem adplicatum a fecibus vini, aceto &c. frontale dicitur; ad oculos collyrium.

J. A. Brambilla über den nützlich. und schädlich. Gebrauch des Oxycrats. Wien. 1778.

J. P. Klett Diss. de Epithemat. frigid. vi atque usu. Erl. 1794.

3. Collutoria.

Collutoria sunt liquida medicamina, quæ in oris cavo detinentur, aut quibus oris cavum eluitur; ab ægro vero iterum ejicienda. Quæ si sub cauto musculorum motu ad fauces demittantur, gargarismata audiunt. Adstringunt, emolliunt, leniunt, depurant, consolidant, varie agunt.

Materies est omne liquidum, simplex vel compositum, morbo oris aut faucium congruum. Seliguntur utplurimum infusa & decocta, cum aceto, sale &c. Præscribuntur ad libram unam, imo in majori dosi, si collutio sæpius repetenda.

4. Injectiones.

Liquor medicatus, qui in cava corporis naturalia vel præternaturalia siphonis ope infunditur, injectio dicitur. Cava naturalia sunt aures, nares, puncta lacrymalia, os, anus, urethra, vagina. Præternaturalia sunt vulnera, sinus, fistulæ.

Materies injectionis est omne liquidum adeo tenue, ut siphonis canulam transeat; utplurimum infusa, decocta, solutiones aquosæ. Adhibentur scopo eluente, diluente, penetrante, depurante, adstringente &c. Delectus materiei ab indicatione morbi pendet.

C. F. Hundertmark de enemate uterino. Lips. 1755.

5. Clismata.

Injectiones in intestinum rectum clismata, enemata vocantur. Fiunt scopo purgante; emolliente, nutriente, irritante, reficiente, anthelmintico, chirurgico &c.

Ibis clisterem sibi injicientis perantiqua est historiola; ita ab ave homines id artificium didicisse fertur. Fabellam Gallenus jam ridet. Plinio teste Aegyptii autem jam clisteres injiciebant; & Cælius Aurelianus dandi modum jam adcurate exponit.

Materies est omne liquidum, scopo morbi adcommodatum. Plerumque tepidum sit oportet.

Quantitas clismatis pro adultis vix excedat uncias octo, pro infantibus vix quatuor uncias. Quæ retineri in intestino debent & absorberi, ad uncias duas vel & ad unam injiciantur.

Clisma ex fumo tabaci, Woodalii inventum, ad suffitus pertinet.

S. Campegii libellus Clysteriorum. Bas. 1532.
A. Rhodius de recta Clysterum administratione. Vit. 1612.
G. Mæbius Diss. de natura & usu Clysterum salubrimo Jen. 1649.
J. D. Major Diss. de Clysteribus veterum & novis. Kil. 1670.
E. R. Camerarius de Clysmatibus. Tub. 1688.
J. Lanzoni de Clysteribus. Ferar. 1691.
J. G. Albrecht de Enematum evacuant. alterant. ac nutrientium usu. L. B. 1698.
J. J. Fick Clysteres nutritii & frigidi. Jen. 1718.
J. C. Schwarz, Clystiere ein allgemeines Hausmittel. Hamb. 1723.

G. Chr. Detharding Diſs. de eo, quod justum est circa Enemata. Rost. 1737.

H. Ludolff de insigni Clysterum utilitate & noxa. Erf. 1748.

J. D. Triller de Clysterum nutrient. antiquitate & usu. Vit. 1750.

Th. Quellmalz de Clysmatibus frigidis. Lips. 1751.

J. Diaper de Clystere. Ed. 1754.

J. J. Girard Diſs. de Enemat. intestinal. Arg. 1762.

Feller de Enematibus. Lips. 1781.

J. M. Saphrani de Clysteribus, eorumq. effectib. Hal. 1781.

J. C. Meyer Diſs. de Clysmatibus. Gor. 1786.

J. E. Pfaff Historia Clysterum. Jen. 1787.

Boehmer Diſs. de noxa & ab usu Clysmatum. Vit. 1788.

CAPUT DUODECIMUM.

DE METHODO FORMULAS CONCINANDI.

Formulæ (Recipe) sunt remedii pharmaceutici quoad materiem & formam consignationes, juxta quas id a pharmacopæo parari, atque ab ægro adhiberi debet. Distinguuntur in officinales, quæ in Dispensatoriis publicis habentur, ut ad normam earum medicamina omni tempore jam parata prostent; & in magistrales, quæ a medico aut chirurgo morbo speciali adaptatæ ex tempore præscribuntur.

In hisce formulis integrum de morbo practicum judicium medici continetur, & fere concentratur, datumque consilium scriptum adservatur. Sunt ergo documenta permanentia de rebus in morbo a medico gestis.

Quodsi hoc perpendatur, simulque influxus præscriptionum harum in ægri salutem consideretur, ars formulandi magni momenti sane res videtur.

Ad rite concinnandas hasce formulas medicas tironibus sequentes canones exponuntur.

1. Remedia in formula consignata sint morbo æquata, nec minora, nec majora morbo. Sub-

ponuntur ergo in formulante cognitiones solidæ therapeuticæ, ac æque audacia nimia quam timiditas in præscribendo vituperanda venit.

H. Meibomii Diſs. de leniorum medicaminum eximio usu. Helmst. 1692.
Pauli Diſs. de medicaminum delectu. Lips. 1694.
J. C. Pohl Diſs. de selectu remediorum. Lips. 1773.

2. Sicuti domestica, si ejusdem virtutis fuerint, pharmaceuticis, sic viliora medicamina & facile parabilia pretiosis semper, & vernacula æquivalentia exoticis sunt præferenda.

M. Alberti de cura per domestica. Hal. 1727.
Heister de medicament. Germaniæ indigenis, Germanis sufficientibus. Helmst. 1730.
C. S. Scheffel de Exoticomania. Gryph. 1733.
Struve oratio de vanitate remedior pretisor. Kil. 1747.
Plaz Diſs. de vulgatior. remediorum usu non rejiciendo. Lips. 1763.
König Diſs. de remedior. indigenorum ad morbos cuivis regioni endemios expugnandos efficacia. Hafn. 1773.

Inefficacia & exoleta exulent penitus, uti v. g. gemmæ, crania humana, mumiæ &c., seligantur que illa sola, ad quæ tenenda pharmacopæus hodie obligatur. Probata semper incertis præponantur.

Stahl Progr. de fidis remediis. Hal. 1708.
Slevogt Progr. de remediis quibusd. futilibus, dubiis impiis & ineptis. Jen. 1712.
Pauli de medicament. e corp. hum. desumtis merito negligendis. Lips. 1721.
J. Lenhardt Arzneyen ohne Maske. Leipz. 1787. II. Th.

4. Placet simplicitas in formulis & in medicaminum selectu. Certe ignorat morbum is, aut sanare non scit, qui compositam ultra necessitatem præscribit formulam. Seligantur necessaria, superflua ommittantur. Optimum semper est talia remedia indicata seligere, quæ pluribus, si opus est, indicationibus satisfacere valent. Ridiculum e contra cuivis morbi symptomati peculiare pharmacon adsignare; farraginemque medicaminum ordinare. Superfluum denique synonima præscribere, sales plures medios, aquas destillatas, aut syrupos plures in eadem formula.

Ab Hartenfels de paucitate & delectu medicaminum Erf. 1701.

Festi Diss. de delectu & paucitate medicamentor. in curandis morbis. Erf. 1701.

Stahl de multitudinis remediorum abusu Hal. 1708.

J. Ph. Eysel de eo, quod medicamina simplicia compositis sint præferenda. Erf. 1717.

M. Alberti de prærogativis praxeos per simplicia præ compositis. Hal. 1720.

Meltzer de damnis superfluor. medicamentor. Reg. 1772.

D. Cooper de parca & simplici medicina. L. B. 1729.

Fr. Hoffmann de medicina simplicissima summæ efficaciæ. Hal. 1731.

C. S. Scheffel Diss. de Mictopharmacomonia. Gryph. 1735.

J. H. Schulze de medicaminum apparatu compendiario diffusiori anteponendo. Hal. 1739.

J. A. Segner de prærogativa medicamentor. simplic. præcompositis. Jen. 1752.

J. Dipokt de effectu remedior. simplicissimor. in morbis gravissimis. Vien. 1754.

G. Ja. Nofsi Diss. de medicament. simplic. præcellentia. Traj. 1764.

Menghin de præstantia medicament. simplic. Oenip. 1767.

5. Nomina ingredientium exponantur litteris, non signis chemicis, quæ sæpe confusionem causant. Sic. & pondera litteris, non numeris aut caracteribus exprimantur Evitentur quoque mensuræ incertæ, manipuli, pugilli. &c.

6. Non negligatur ordo ingredientium pharmaceuticus, ita enim sunt ponenda, prouti a pharmacopæo recipienda erunt. Etiam ejusdem speciei ingredientia proxime semper sibi subjungantur, radix radici, pulvis pulveri &c.

N. v. Jacquin von den pharmaceutisch. Composition: d. Arz. Wien 1786.

7. Non præscribantur talia, quæ obpositis viribus gaudent, sed ex meris in unum scopum conspirantibus remediis constet præscriptio; alias unum alterius vires elidit.

J. Sylvii method. medicam. componendi. Par. 1541.

G. W. Wedel de medicamentor. compositione extemporanea. Jen. 1678.

Ludwig de medicamentor. contrar. compositione. Lipsic. 1758.

E. G. Baldinger Pr. de optima medicamentor. mixtione Got. 1775.

Sonnauer de compositione pharmaceut. medicamentor. Vien. 1777.

8. Non peccetur contra leges chemicas. No misceantur acidacum alcalinis, olea prefsa cum aquosis, acerba cum metallis, resinæ cum decoctis,

quin subigantur; nec tanta salis quantitas præscribatur, quæ in determinato vehiculo solvi non potest &c.

C. G. Gruner de damnis ex neglectu studii chemici oriundis quoad medicament. compositionem. Jen 1786.
J. B. Tromsdorf chemische Receptirkunst. Erf. 1797. Wien 1805.

9. Neque contra leges pharmaceuticas peccetur. In pilularum & electuariorum præscriptione, ridicula & impossibilis pharmacopæo miscela non raro a junioribus exponitur.

Fr. Schrader de medicament vehiculis. Helmst. 1701.
J. Schauer Diss. de vehiculis medicaminum appropriatis. Erf. 1721.

10. Unum aut plura ingredientia, quorum efficacia morbum quammaxime profligare, aut scopum therapeuticum adtingere intendimus, basin totius formulæ sistunt. Hæcce, computatis reliquis circumstantiis, docebunt formam præscriptionis necessariam in pilulis, in pulvere &c., atque reliqua constituentia necessaria. (Speciales pro diversa tali forma regulæ in priori capite adsignatæ fuerunt).

Chr. M. Adolphi Diss. de forma medicamentor. pro curandis morbis apte et utiliter exhibenda. Lips. 1749.

11. Tale principale remedium adjuvante sæpe indiget, quod actionem ejus promovet; uti

v. g. rheum scopo purgante cum sale medio conjungitur. Ejus vero perpetua necessitas in omni formula non est.

12. Aliud vero iterum corrigente quodam remedio indiget, quod noxiam vel nimiam ejus actionem, si opus est, moderetur. Sic resina jalapæ, aut alia drastica cum oleosis aut mucilaginosis pro irritabilibus subjectis sæpe præscribuntur. Neque hoc in omni formula necessarium est.

13. Quandoque etiam saporem medicaminum corrigere decet. Nunquam enim, præcipue delicatioribus, & infantibus, in tali nauseosa qualitate aut & quantitate medicamina sunt præscribenda, ut ægris vomitum frustraneum, aut nocivum, aut inobedientiam in adsumendo causent; nisi peculiaris scopus sit, vomitum aut nauseam ciere. Nequaquam tamen in dulcore unice medicaminum gratia consistit; multa e contra saccharo magis nauseosa redduntur; & peculiaris fere ars est (in praxi præcipue nobilium) grata reddere medicamina, quin de viribus perdant. Sic rheum corticibus citri, quinquina cinnamomo, gentiana caryophyllis &c. gratiora fiunt. Universim hic multum & idiosyncrasiis indulgendum.

Heinrich Diss. dfastidio medicamentor. Basil. 1698.
Hottinger de eod. argum ibid.

14. Operationes pharmaceuticæ, infusiones, decoctiones, miscelæ, pilularum formationes, dosium divisiones &c. adcuratissime in formula sunt adsignandæ; nam formula est instructio pro pharmacopæo.

15. Etiamsi subponatur, ægrum vel adstantes ab ipso medico de remedii adplicationis modo informari, tamen idem & per pharmacopæum in propriis schedis medicamini adhærentibus fieri debet. Medicus ergo ne obliviscatur cuivis formulæ signaturam adjungere, in qua idiomate ægris noto explicatur, qualenam remedium sit, an externe aut interne, & quonam modo adhibendum. Alias confusiones & sæpe summe noxiæ contingere possunt *).

16. Denique monere oportet, formulam quamvis in charta pura, caracteribus legibilibus & orthographice scribendam esse, nomine quoque medici & Dato semper subsignandam.

Plura circa hoc objectum desiderantibus suadentur sequentes libri.

Chr. Hollwig regula de formulis medicamin. conscribendis. Fr. 1712.

N. Rosen de erroribus in formulis medicinalibus. Ups. 1737.

H. D. Gaubii libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. L. B. 1739.

E. A. Nicolai methodus concinnandi formulas medicamentor. Hal. 1747.

J. Junker conspectus formularium medicinal. Hal. 1753.

Anweisung zur Wissenschaft die Arzneyen zu verschreiben. Berl. 1761.

J. Fr. Cartheuser tabulæ formular. medicar. præscriptioni inservientes. Fr. 1766.

---

*) Placuit methodus in nosocomio universali Vindobonensi, ubi ex jussu sapientissimi Directoris in scheda cujusvis lagenæ formula præscripti contenti legitur. Utinam & ad privatam praxin — ad evitandos multifarios errores — ordo iste transferatur,

C. J. Mellin selecta formularum medicinalium exempla Kempt. 1771.

S. Schaarschmidt Abhandlung vom Receptschreiben. Berl. 1772.

C. G. Gruner via & ratio formulas medicas præscribendi. Hal. 1775. Deutsch. Heidelb. 1786.

Fr. Steininger Art zu verschreiben. Wien 1784.

J. F. C. Pichler methodus formulas medicas conscribendi. Arg. 1785. 1789.

Max. Stoll Diss. de materia medica practica. Opus posthumum. s. l. 1788.

J. J. Plenk Pharmacocatagraphologia. Vien. 1790.

J. Cl. Tode das Receptschreiben, Coppenh. 1792 — 1798. V. Tom. It. II. Edit.

Formularum exquisitarum exempla qui expostulat, adeat inter nostrates Stoerkii, Quarinii, P. Frankii opera.